

Aa 72p.

17

QUID SIGNIFICAVERINT
SEPULCRALES NEREIDUM

FIGURÆ

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

J. MARTHA

GALLICARUM SCHOLARUM, QUÆ SUNT ROMÆ ET ATHENIS,
NUPER SOCIUS



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD E. THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXI



PATRI

QUID SIGNIFICAVERINT
SEPULCRALES NEREIDUM
FIGURÆ

PROOEMIUM

Mos erat apud veteres Græciæ atque Italiæ populos sepulcra fere omnia variis imaginibus, aut pictis aut exsculptis, decorare. Quas si quis videt toties easdem usurpatas, suspicatur non temere adhibitas esse, sed inesse iis absconditæ significationis aliquid et funebrem certe sensum. Qui, qualis esset, multi temporibus nostris aggressi sunt exquirere; res tamen adhuc in dubio manet, cum summa sit inter doctissimos gravissimosque viros dissensio. Alia enim aliis placuerunt. Plures censuerunt sepulcris repræsentari solere quotidianos vivorum labores, ludos, gaudia, fugi-

tivas scilicet voluptates, et relinquendam lætissimæ conditionis felicitatem, omniaque supremo discessu intercipienda. Aliis contra visum est non ea expressa esse, quæ morte auferrentur, sed ea quæ post mortem expectarentur, neque ad aliud quicquam sepulcralia ornamenta pertinere, nisi ad vitam ulteriorem ac meliorem et ad beatas Elysiorum camporum sedes, quo e terrestri exsilio elapsæ animæ in æterna otia recederent.

Quamvis spes parva sit, in re tam ambigua impeditaque, eam dijudicationem fieri posse, quæ omnibus comprobanda videatur, tamen ad pendentem litem non nihil collaturum me putavi, si, omissis aliis imaginibus (quæ tot tamque variæ sunt ut in nostro opusculo omnes complecti neque præsto sit neque referat), unam consimilium inter se figurarum seriem considerare tentaverim, involutamque iis mentem, si qua sit, explicare. Itaque de Nereidibus aliqua disserere in animo est, quibus demonstretur quatenus ad res funereas spectaverint.

Ut a recentissimis Romanorum sepulcrorum

imaginibus exordiamur, quarum plurimus numerus est, multi sunt, ducenti circiter, marmorei sarcophagi, quorum nonnulli primo post natum Christum sæculo addicuntur, plerique autem secundo vel tertio : in quibus Nereidum figuræ reperiuntur, nudo vel seminudo corpore, quæ in fluctibus feruntur, nunc Tritonas amplexæ, nunc Centaurorum dorso insidentes, nunc hippocampis delphinisve invectæ, nunc marinarum ferarum collo suspensæ. Illarum omnium species videtur tam læta chorusque adeo bacchicus, ut vix eas ad funus spectare crederes, nisi ex multis aliis et simplicioribus et antiquioribus exemplis constaret esse quamdam Nereidum imaginibus funeream significationem.

Etenim, qua patebat olim Roma exeunti *Latina Via*, multa nunc supersunt sepulcrorum vestigia; in quibus cellam ipse vidi aliquam subterraneam, sacrario simillimam, quo gentilicia corpora condebantur. Quam si quis, face instructus, intraverit, fornicem suspiciet tectorio opere expolitum, variisque ornamentis, ut mos erat in Pompeianis ædibus, dis-

tinctum, exsculptis scilicet sertis et viginti quinque orbibus certo ordine dispositis. Orbium autem duodeviginti quisque figuram præclara arte complectitur Nereidis marino cervo insidentis, aut hippocampo, aut Centauro, aut ariete, aut pistrice, aut panthera. Alia concham manu tenet, alia lyram, alia thyrsus, alia amphoram, alia cornu, alia lancem cum fructibus¹.

Consimiles Nereidas, marinis animalibus vectas, lucernæ funebres non semel exhibent², et figlinæ laminæ, quæ inter rudera sepulcrorum sæpenumero jacent³, quasque accepta vulgo opinio est supernis funebrium cellarum parietibus, continua velut ornamenta, affixas esse.

Nereidis hippocampo sedentis effigies erat in pictura quadam sepulcrali, abhinc annis circiter viginti quinque in *Albanella* pago inventa, qui non procul a *Salerno* et *Pæsto* situs est⁴. Multa præterea sunt figlina vasa,

1. *Annali dell' Istituto*, 1861, p. 230 etseq.

2. BELLORI, *Le antic. lucerne sepolcr. figurate*, I, tab. 4.

3. Cf. RAOUL ROCHETTE, *Monum. inédits, Achilléide*, p. 48.

4. *Bull. Arch. Napol.*, juin 1855, p. 93, tab. 11.

collecta in Apuliæ sepulcris, quæ pictis Nereidibus ornantur, arma Achillis apportantibus¹.

In colle Urbis Esquilino, cum nuper recentioribus viis atque ædibus locus quæreretur, effosso aggere, erutisque tuscæ ætatis sepulcris, quadratæ arulæ, figlini operis, repertæ sunt²; quæ, quamvis parum constet de usu, tamen pro funebri supellectile ducendæ sunt. Illarum autem in latere, inter alias imagines, Nereides cum marinis animalibus colludunt.

Ut ad vetustiora pergamus et ad tertium fere sæculum ante Christum, non paucae sunt in Etruria Nereidum imagines æreis cistis incisæ; cistæ autem ad res funereas spectant³.

1. De quibus nuper disputavit, singulorum enumeratione facta, Heydemann in opusculo, *Nereiden mit den Waffen des Achill* (Halle, 1879).

2. DRESSEL, *La supellectile dell' antichissima necropoli esquilina* (*Annali*, 1879, p. 253 et seq.; *Monumenti*, tab. 10 et seq.). — Heydemann (*Nereiden mit den Waffen des Achill*, not. 43) putat illis arulis, veluti basibus, impositas esse sepulcrales lucernas; Dressel vero censet easdem, cum sint in concavum superne effossæ, incendendis odoribus aptas esse (*Annali*, cf. supra).

3. Vide cistam quæ dicitur *Barberini* (*Monum.*, VIII, 31, 1). Alias etiam refert Heydemann in opusculo supra laudato.

Ex illis omnibus, quæ attuli, exemplis apparet inesse Nereidibus aliquid funereum; quale autem sit, quidque significaverit parum liquet. Quod cum inquirere velim, necesse est, pauca præfando, constituere qua ratione quaque via procedam.

Quamvis omnes illæ, quæ conservatæ sunt, sepulcrales Nereidum figuræ in Italia repertæ sint, tamen in Italia neque concepta est neque coaluit Nereidum fabula, sed græca tota est, ipsumque Nereidum nomen græcam originem satis declarat. Nec fabulam miraberis illam e græco fonte in Italiam defluxisse, ornandisque Italorum sepulcris adhibitam esse : nam omnibus imaginibus, quæ Etruscorum Romanorumque sarcophagis exsculptæ sunt, aut lampadibus effictæ, aut vasis depictæ, aut cistis incisæ, constat plerumque nihil aliud illustrari quam notissimas Græcorum fabulas. Amazonum prælia vides, Græcorum cum Trojanis congressus, Meleagri venationes aut Hippolyti, labores Herculis aliaque multa, quæ a Græcis poetis et artificibus tradita Itali exceperant. Si quid igitur latet sub Nereidum

imagine funereum, hoc illud, qualecumque est, non videtur a nobis posse deprehendi, nisi prius ea collegerimus quæ de Nereidibus Græci excogitavissent.

Primum persequi conabor ultimæ antiquitatis vestigia ac vetustissimas, si quæ sunt, de Nereidibus fabulas, vel potius priorem Nerei Nereidumque religionem perspicere. Inde videbimus quo modo illa religio a virtute sua sensim desciverit; quali fabularum accessione antiquitus adulterata sit, cum et Neptunio imperio et Achilleis rebus adjungeretur; quilibusque nugis paulatim imminutam in amœnas inanitates vanaque ornamenta posteriores poetæ atque artifices deduxerint. Ita, quæcumque de Nereidibus Græcia vetus tradidit, complectemur. Sed frustra in illis discernere aliquid tentabimus, quod sit rebus funereis aptum. Deficiente antiquitate, indagabimus si qua de Nereidibus apud recentiores Græcos vulgo enarrantur, quibus est cum veteribus Græcis cognatio. Populares ita fabellas assequemur, quæ non hodierni tantum ævi sunt, sed etiam antiqui; quæ quidem evanuisse vi-

dentur, cum poetica litteratæ Græciæ luxuria rusticas fabellas obruisset; sed obscure permanebant in agrestibus et tenaciibus animis et continuo per ora ad nostram usque ætatem traditæ sunt. Quas si expenderimus, illustrare licebit pristinam ac vere nativam indolem Nereidum, ac mores, studia, munera; unde prisca earum religio intelligetur, et quid sit in illa funereum. Duplex igitur habebimus fabularum genus et duplicem opusculi divisionem: in priore parte de veteribus Græcis dissereamus, in posteriore de recentioribus.

PARS PRIOR

§ 1. — *De vetustissimis Nereidum fabulis.*

Quamvis nihil habeamus a Græcis traditum, quod sit homericis hesiodeisque carminibus antiquius, vetustiora tamen scrutari licet. Multi enim explorare perceperunt et jam satis demonstraverunt non ex unius viri ingenio, ut e proprio fonte, emanavisse quicquid in *Iliade* aut *Theogonia* legitur, sed illorum poematum materiam, cum ab utroque poeta mire elaborata sit, tamen ex pristinis elementis collectam esse : quæ sic extricari possunt, ut suspicemur ea, quæ ante Homerum Hesiodumque inventa erant vulgoque cantata, et quasi prioris ævi lineamenta dispiciamus.

Temporibus illis, quibus Græcorum nomen nondum erat, neque gens ulla certa societate definita, multa jam de diis homines animo

conceperant. Rem sæpe tractatam ac vere pertritam breviter attingere satis erit. Cum enim parum intelligerent quo pacto quibusve causis tota rerum natura moveretur, omnia, quæ cernebant, immortalī quadam vi fieri atque animari arbitrabantur. Cum cælum suspicerent cælestiaque omnia contemplantur, siderum cuique numen inesse putabant, quo cursus ordinesque regerentur; et pariter numen inesse cæli mutationibus, et variis anni tempestatibus et aquis et igni et aeri; neque quicquam in terris aut gigni aut maturatum pubescere, nisi haberet intus vivum aliquid et divinum. Quotiescumque vento coorta nubila solem operiebant, nigramque in congeriem concurrebant, credebatur hæc illa moles animo et sensibus prædita, quæ fulmen tonitruque pararet quasi arma. Quam si forte superantis solis calor dissipavisset, veniebat in mentem deos prælium fecisse, unumque ab altero debellatum esse; præterea imbrem esse aerii cujusdam dei impetum, qui captus amore terræ matris, in ejus gremium se reciperet, unde omnia parerentur.

Cum igitur priores illi Helladis incolæ, rerum ordinem ac vicissitudinem admirantes, absconditos deos in omni re suspicarentur, si unquam alias, tum maxime vario maris conspectu in magnam religionem inducebantur. Quid enim in omnibus Græciæ partibus mari præsentius? Quæ, ut in insulas innumerabiles, exiguis aquarum spatiis disjunctas divisa est; ita, qua continenti adhæret, faucibus adhæret tam angustis, tot habet mediterraneos sinus, in quos quasi in extremas usque terrarum rimas fluctus insinuat ipsisque montibus inseritur velut in suo, tot ostendit urbes prope in littoribus ipsis expositas, ut vix insulam invenias navibus apertiore et opportuniorem quam Peloponnesum et fere dicas Græciam totam esse insulam. Itaque natura addictus erat græcus homo mari; qui cum sæpe in arena puer colludebat, tum a primis adolescentiæ annis navigando aquas suas experiebatur; fretaque illa perlustrabat, quibus nullam mercaturæ belloque viam neque unquam Græcia habuit neque nunc habet aptiorem; aut meliora lucra meditans et longin-

quiora, piratico more ad ultima quæque littora ferebatur. Utebatur mari quasi patria. Ibi cum haberet ante oculos mutationes æquoris vivacemque aquarum mobilitatem, necesse erat, quemadmodum alii, cælum contemplati, solem, nubila, imbres deos effinxerant, ita et ipse, eadem religione excitatus, mare crederet numen esse, quod nunc placidum subridensque sese proris submitteret, nunc vero iratum tumesceret, quasi vellet obstare navigantibus. Mox opinio sequebatur, non unum eundemque deum auctorem esse omnium maris varietatum; sed alium esse qui, æquore pacato, quiesceret, alium qui lenis faveret spei nautarum, alium qui summos fluctus moveret, alium qui penitus disturbaret. Atque cum non deficeret ubertas ingenii figurarum fecundissimi, omnia illa numina varia specie induebantur, humanæ proxima : hinc illæ de Ponto, de Phorco, de Glauco fabulæ; hinc Nereus benevolus senex, hinc Proteus multiformis et multivagus.

Eadem ratio fuit qua sunt Nereides excogitatae. Si quando, æstivo sub sole, per freta

etesiis agitata, nunc attollebantur fluctus nunc devolvebantur, lateque albescabant, ille videbatur mobilis candor non aquarum factus spūmanti decursu, sed ascensu quodam marinarum virginum, quæ ab imis sedibus emersæ choros agerent et in æquore colluderent.

Nomina Nereidum tradita sunt pluribus recensitionibus, quæ in Homero ¹, Hesiodo ², Apollodoro ³, Hyginoque ⁴ inveniuntur. Alia quoque inscripta sunt in figlinis vasis quibusdam, pictas Nereidas designantia ⁵. Quæ si quis expenderit, qualia sint quamque vim habeant, intelliget Nereidum figuris emergentibus plerumque significari quicquid nautarum oculos percelleret : seu placidum mare resideret et variis coloribus distinctum micaret, nunc cæruleum, nunc lacteum, nunc aureum ac prope melleum (Γαλήνη, Ἀμφιπέριτη, Γλαύκη, Θαλεία, Γαλάτεια, Μελίτη); seu fluctus æstuarent

1. *Ilias*, xviii, 39 et seq.

2. *Theogonia*, 246 et seq.

3. *Bibliotheca* (Heyne), i, 2, 7.

4. *Præfatio fabularum*.

5. *Annali dell' Istituto*, IV, p. 124 et seq. O. JAHN, *Vä-sensammlung König Ludwigs*, p. cxvii, 838.

saxaque ferirent crebro impetu (Κυμοδόκη, Ἄγαυή, Δυναμένη); seu proscissa navibus aqua recederet et remigio torta spumaret (Φέρουσα, Ἀμφιθόη, Εὐπόμπη, Ποντοπόρεια, Κυματολήγη); seu tranquillos in portus penetraret aut lamberet mollem arenam, insulas circumfusa (Εὐλιμένη, Νησαίη, Νησώ, Ἀκταίη, Φαμάθη). Exceptis quibusdam nominibus, quorum dubia significatio est, talem vim in aliis, si consideraveris, invenies.

Sed parum interest plura enumerare. Hoc tantum illustrabo nomina omnia non eadem esse apud Homerum, eadem apud Hesiodum aliosque scriptores; sed, præter aliqua communia, dissimilia multa apud unum aliumve reperiri. Unde constat conservatas Nereidum recensiones diversis fabulis compositas esse, nedum omnes ex una nascerentur, ipsasque fabulas vetustissimas esse.

In illa Græciæ antiquitate, de qua modo disserui, quæcumque de diis fingebantur, ea necesse erat incondite excogitari. Hinc enim atque illinc cooriebantur fabulæ, vi quadam inconsulta procreatæ, et sine lege per ora

hominum vagabantur. Habebat tum quæque regio suas, cum alia a nautis crederentur, alia ab agricolis, alia a pastoribus, aliaque in Creta aut in Thessalia aut in Peloponneso. Progrediente autem ætate cœperunt ea conciliari, quæ in diversis locis vulgo cantabantur, placuitque tandem confusam disparium deorum multitudinem componere. Apparet enim ex ipsis Homeri Hesiodique poematibus a quibusdam rhapsodis jam antea redactas esse in ordinem multas de divinis rebus fabulas, atque ita elaboratas esse, ut, accommodatione inter eas facta et, ut ita dicam, concordia, continua generatio deorum deduceretur, diique deæque omnes necessitudine quadam atque firmo cognationis vinculo jungerentur.

In nova illa rerum serie, quemadmodum ceteris diis, ita et marinis virginibus, quarum figuras nominaque in vetustissimis fabulis supra agnovimus, certa origo addicta est certaque generatio definita. Fabula facta est ex Ponto, antiquissimo numine, quod ad mundi initium referebatur, atque e Terra matre

natum esse Nerea¹. Nereus autem, mitis ac benevolus senex, cum Dorida, Oceani filiam, uxorem duxisset, quinquaginta formosas filias Nereidas genuit.

Quibus nulla alia sedes addicitur nisi paterna : cum Nereo fluctibus sub imis habitant², in recessu alicujus speluncae, argento reidentis³; ibique, more virginum, femineis pensis dant operam⁴. Quas inter unam observabis, Thetida, quae sororibus suis antecellere videtur. Namque fama erat eam simul a Jove Neptunoque potentissimis diis, conubii causa, petitam esse, priusquam praediceretur, si quis ab uno aut altero ex Thetide filius gigneretur, fore ut ille genitore praestantior potentiorque evaderet⁵. Alia fama erat ejusdem Thetidis consilio, quae centimanum Aegæona e mari evocavisset, Jovem esse vinculis liberatum, in quibus a pluribus Olympi conjurati numinibus captivus tenere-

1. Hesiod. *Theogon.*, 233 et seq.

2. *Ilias*, XVIII, 36.

3. *Ilias*, XVIII, 50.

4. *Theogonia*, 263 et seq.

5. PINDAR. *Isthm.*, VII, 27 et seq. APOLLOD. *Bibl.*, III, 13, 5.

tur¹. Quapropter sedet illa Thetis Nereo patri proxima, ceteris Nereidibus eam circumcingentibus, in argentea caverna²; ac si quando dea summis aquis emergit, eam omnes comitantur puellæ, veluti reginam³, docilesque circumnatant, quæ sese conferant quo jusserit⁴.

Ita in vetustissimis fabulis nulla alia Nereidum species est nisi marinarum virginum; quæ, cum numina vere sint, tamen secundas partes in mari obtinent.

§ 2. — *De Nereidibus Neptuni sociis et ministris.*

Dum illa taliaque de Nereo Nereique progenie fingebantur, arctior fiebat in dies rerum divinarum compositio, quam jam in prioribus fabulis internoscere possis. Cum enim Ju-

1. *Ilias*, I, 405.

2. *Ilias*, I, 358; XVIII, 36. Cf. XXIV, 83.

3. ÆSCHYL. *Fragm.* (Didot), 146 :

Δείποινα πεντήκοντα Νηρηίδων κορών.

4. *Ilias*, XVIII, 65 et seq. Cf. XVIII, 139-145; APOLLON. *Argonaut.*, IV, 938 : Θέτις δ' ἔθυνε κέλευθον.

piter, nova molitus, ceterisque Olympi diis auxiliantibus, patrem Saturnum Titanasque debellavisset, ingentesque universi mundi tumultus pacavisset, omnia demum in cælo et in terra cœperant administrari summa unius auctoritate supremoque consilio. Tum deorum cuique assignatum erat munus suum dataque provincia certis finibus terminata.

Mare Neptunus sortitus est ¹. Ibi sedem habuit in æde magnifica, sub aquis, auro splendida, æternaque, cui Ægarum nomen fuit ². Quicquid autem maris erat, ex arbitrio ejus pendebat. Ille nunc tumidos fluctus compecebat et late æquor extendebat, quæ via navibus amicoque hominum commercio aperiretur; nunc ut magnas tempestates moveret, littoraque tremefaceret (ἐννοσίγαιος), nubila cogi, aquas attolli, ventos excitari jubebat ³.

Rex igitur maris erat et pro rege habebatur. Etenim, si quando libebat regna sua perlustrare, huc illuc invehebatur, tridentem ferens

1. *Ilias*, xv, 190.

2. *Ilias*, xiii, 21 et seq.

3. *Odyss.*, v, 291 et seq.

veluti sceptrum, auratis equis currum trahentibus; interea pisces exsultabant circum, variaque monstra undique emergebant, quæ sequerentur, fluctusque facilis moderatorem suum excipiebat.

Cum illæ de Neptuno fabulæ post Homeri Hesiodique tempus prævaluissent, neque jam alius haberetur aquarum dominus et arbiter, tum vetera illa maris numina, de quibus supra disserui, priore majestate destituta sunt. Rara deinde cum Protei, Glauci, Phorci, tum Nerei senis mentio. Nereides autem novam legem accepisse videntur partesque in novorum rerum statu obtinuisse. Nereis enim est Amphitrite, Neptuni uxor; quæ, cum e sororibus, choros una in Naxo insula ducentibus, a rege maris amata et rapta esset¹, inter alias eminent reginaque æstimatur. Ceteræ ministerio Neptuni uxorisque assignatæ sunt. Comitantur deum conglobatæ circum et, quacumque ingreditur, viam aperiunt simul cum Tritonibus, delphinis, hippocampis, varioque pis-

1. EUSTATH. *ad Odys.*, 1458, 40.

cium et marinarum ferarum exercitu. Nec desunt exempla quæ afferam. In Platonis *Critia* ¹, magnificentum Neptuni templum describitur, in insula Atlantide situm : in quo, præter varias statuas summi artificii, grandis effigies est dei, curru invecti sex aligeris equis juncto, quem stipat circumfusa centum Nereidum corona delphinis insidentium. Quæ a Platone descripta sunt, eadem fere exsculpta videas in anaglyptis quibusdam miræ artis, quæ ex antiquiore Scopæ opere elaborata videntur et nunc conservantur in Musæo Monacensi ². Sedet in curru Neptunus cum Amphitrite conjuge, habenisque junctos Tritonas moderatur. Alii Tritones circumnatant cum tauro, ariete, equo ; quorum incurvo dorso vehuntur venustæ puellæ Nereides. Parè chorum Tritonum, Nereidum, marinorumque

1. P. 116, E : Χρυσᾶ δὲ ἀγάλματα ἐνέστησαν, τὸν μὲν θεὸν ἐφ' ἄρματος ἐστῶτα ἐξ ὑποπτέρων ἵππων ἠνίοχον, αὐτὸν τε ὑπὸ μεγέθους τῇ κορυφῇ τῆς ὀροφῆς ἐφαπτόμενον, Νηρηΐδας δὲ ἐπὶ δελφίνων ἑκατὸν κύκλῳ.

2. SCHORN, *Beschreibung der Glyptothek*, p. 106 ; O. JAHN, *Abhandl. der kön. sächsl. Gesellsch. der Wissensch.*, 1854, p. 163, tab. 3-8. — Cf. Virgil. *Æneid.*, v, 822 et seq.

animalium cum Neptuno exhibet opus quoddam vermiculatum in pavimento Pompeiano¹. Hæc accipe præterea quæ in Luciani *Marinis dialogis* a Zephyro de rapta Europa enarrantur² : « Amores juxta volabant, ita ut summis pedibus aquam delibarent, accensasque faces gerentes, canebant simul hymenæum. Nereides vero emersæ in delphinis equitabant, lætitia ac plausu frementes, seminudæ pleræque. Tum etiam Tritonum genus et si qua sunt alia marina animalia visu minus terrificæ, omnia choreas ducebant circa puellam. Neptunus quidem, conscenso curru, in quo et Amphitrite assidebat, præcedebat hilaris viamque faciebat natanti Jovi. » Ita quacumque per maria Neptunus ingrediebatur, virginalem Nereidum turbam secum ducebat.

Illæ autem regem reginamque domestica quadam pietate colunt, ad ministerium omne paratissimæ. Nunc, nuntiato Helles casu, Neptunus imperat : « Ite, inquit, Nereides, corpus virginis excipite, ferte ad Trojanum lit-

1. *Bull. dell' Inst. di corr. arch.*, 1871, p. 177.

2. *Mar. Dial.*, xv, 3. — Cf. Moschus, *Idyll.*, II, 118 et seq.

tus, ubi ab incolis justa perficiantur¹. » Nunc autem Galene Nereis jubetur, sola inter sorores, fluctibus, Neptuno absente, consulere; ideoque sola a Pelei nuptiis deorumque convivio abest². Narrat Himerius Neptunum, incensum amore Hippodamiæ, congregato Nereidum choro, jussisse sibi in extremo litore thalamum construi³. Ea est inter Neptunum Nereidasque necessitudo, ut si cui virgines irascantur, ministrarum suarum ille inimicitias suscipiat. Cum enim Cassiepeia, Æthiopiæ regina, ausa esset cum Nereidibus de pulchritudine contendere, Neptunus, ira communicata, ab Apollodoro dicitur pestem misisse, qua regio liberari prius non potuit, quam Andromeda, Cassiepeiæ filia, præda monstro marino traderetur⁴.

Illa Nereidum cum Neptuno societate factum est ut cum maris gubernatore una omnes cohererentur. Quemadmodum vidimus earum sta-

1. LUCIAN. *Dialog. Mar.*, IX, 1.

2. LUCIAN. *Dial. Mar.*, V, 1.

3. HIMER. *Orationes*, I, 6 : Τότε και ὁ θεός τὸν τῶν Νηρηίδων χορὸν ἀθροίσας ἔστησι μὲν αὐτῶ κατ' ἄκρας ἡόνος τὸν θάλαμον.

4. APOLLOD. *Biblioth.*, II, 4, 3.

tuas in Atlantidis insulæ templo collocatas, ita in Corinthiaco Isthmo, ubi Neptuno solemnia celebrabantur, consecratæ erant Nereidum imagines¹. Illæ simul cum Neptuno vota accipiebant. Talibus vocibus precatur in Euripidis *Helena* Menelas, navigando iter facturus : « O qui mare habitas, humide Neptune, vosque, o puræ Nerei filiæ, servate me et ferte ad littora naupliaca². » Pariter Alexandrum Magnum, Hellesponti freta transeuntem narrat Arrianus Neptuno atque Nereidibus sacrificavisse³. Adeo non desunt illius religionis exempla, ut ex eodem Arriano constet genus omne nautarum, et priusquam proficiscerentur et cum salvi redirent, Neptuno, Amphitritæ et Nereidibus vota solvere solitum esse⁴.

1. PAUSANIAS, II, 1, 8.

2. EURIP. *Helen.*, 1584 et seq.

3. ARRIAN. *Anab.*, I, 11, 6; *Indica*, XVIII, 11. Cf. *Anthologia græca* (Didot), VI, 349.

4. ARRIAN. *De venat.*, 34.

§ 3. — *De Nereidibus Achilleæ fabulæ conjunctis.*

Dum Græci vetustissimi, ante homericam ætatem, mira quadam vi religionis atque ingenii impellebantur ut Nereidas, virginales figuras, mente conciperent, alterum simul coarctabatur fabularum genus, quod non ad deorum originem vel formam pertinebat, sed ad historiam rerum humanarum. Etenim nonnulli homines, aut viribus excellentes aut fortitudine aut prudentia, cum bella ingentia moliti essent, migrando procul maria terrasque peragravissent, condidissent urbes certisque legibus conservavissent, egregiam vitæ suæ memoriam reliquerant. Itaque fama percellerat animos adeoque in diem crescebat, ut variæ de illis viris illustribus narrationes fingerentur epicaque carmina; quæ, memoriter tradita et heroïco auctu amplificata, a rhapsodis recitabantur, per omnes vicus vagabundis.

Quæ cum ita canerentur, evenit ut inter utrumque fabularum genus, alterum ad deos

spectantium, alterum ad homines, necessitudo fieret, aliæque aliis miscerentur. Ex quo enim credebant divinæ naturæ nullam speciem esse, nisi humanam, atque deos immortales humanis animis humanisque libidinibus inflammari, necesse erat ut illi ab hominum vita non alieni viderentur. Inde referebantur Jovis in terram descensus, varias figuras mentiti; frequentesque cum mortalibus mulieribus concubitus; consilioque Ulyssis adstans Minerva; et Venus amica Phrygio adolescenti; et Mars, præliorum particeps; similiaque multa, quibus incolæ regionis cujusque gloriabantur, cum sese plerique jactarent e divina stirpe procreatos.

Quod ad Nereidas attinet, conjunctas eas invenimus epicis quibusdam Thessalorum traditionibus¹, quæ de Peleo, rege Phthiotidis, ejusque genere, connubio ac progenie cantabantur. Namque Peleus dicebatur originem traxisse ab Æaco; Æacus autem marina numina proxima cognatione attingebat; quippe

1. Cf. HERODOT., VII, 191; EURIP. *Androm.*, 16 et seq.

qui ex Ægina nympha natus esset ¹ (quæ, quamvis inter Nereidas non numeretur, tamen ipso nomine marina nympha declaratur ²), et secundis nuptiis uxorem habuisset Psamatnam, ex Nereidibus unam; quæ, cum invita nuberet, fertur in algam sese contulisse. Præterea, idem Peleus ea societate cum Telamone utebatur, ut a multis ambo fratres existimarentur. Telamoni autem Pherecydes aiebat matrem esse Glaucen Nereida et patrem Actæum ³. Postremo Peleus ipse Nereida Thetida in matrimonium obtinuerat, Nereidesque omnes convenerant, quæ sororis suæ nuptiali pompæ atque convivio deorum adessent ⁴. Ita antiquitus Peleiacæ genti arcissima cognatione Nereides adhærebant.

Quæ cognatio firmata est atque illustrata homericis carminibus, quibus celebrabantur Achilles facinora, nati ex Peleo et Thetide

1. APOLLODOR. *Bibl.*, III, 12, 6.

2. Cf. Ἀλγί (Iliad, XIII, 21 et seq.), aliaque multa nomina quæ ad mare pertinent, Ægæum, Ægæon, Ægion, etc.

3. Ἀκταῖος, de verbo ἀκτί, littus.

4. EURIPID. *Iphig. in Aul.*, 1054 et seq.; *Annali dell' Istituto*, XX, p. 299; *Monumenti*, IV, tab. 54-57.

Nereide. Sæpenumero in Iliade Thetida induxit poeta, ab imis fluctibus paternaque Nerei sede assurgentem, quæ cum filio suo colloqueretur : nunc lugentem consolatur et ab Agamemnonis contemptu vindicat¹ ; nunc, Patroclo interfecto, nova arma, Vulcani opus, apportat² ; nunc a Jove jussa suadet ut Hec-toreum cadaver, accepto pretio, patri Priamo reddatur³. Neque incommitata dea plerumque emergit. Nam cum, post obitum Patroccli, amens luctu Achilles littus omne completeret ingenti gemitu, vocem sensit Thetis in mari profundo et, gemebunda ipsa, circumsedentes Nereidas materno dolori socias assumpsit. Illæ enim, simul ac flentem sororem audiverunt, pulsant manibus pectora et una lacrimantur ; tum e caverna exeunt neque prius Thetida deserunt quam illa decreverit ire Vulcanum rursus precatura, armorum fabricatorem, jusseritque eas in imos fluctus recedere⁴.

1. *Ilias*, I, 358.

2. *Ilias*, XIX, 10.

3. *Ilias*, XXIV, 128 et seq.

4. *Ilias*, XVIII, 139-143.

Pariter in *Odyssea*, Atridis anima narrat Nereidas Achillis exsequiis omnes adfuisse; nam, cum sanguineum corpus pulverulentumque Græci lavarent, et unguentis unguerent, inter planctus dea genitrix apparuit, a sororibus stipata; quæ mortuum vestibus incorruptis lacrimando involverunt, dum a Musis funebre quoddam carmen canebatur ¹.

Temporibus homerica ætate recentioribus, Achillis fabula, sæpissime tractata, ita adolevit talique incremento aucta est ut Græciam totam multaque sæcula impleret. In tanto carminum epicorum tragicorumque flumine, quod ex homerico fonte manavisse constat, quemadmodum Thetidis filio nunquam defuit poetarum ingenium, ita ille semper habuisse videtur easdem Nereidas vitæ suæ ac mortis socias, quas antea in carmine Homerus induxerat. Nam in Arctini *Æthiopia* refertur Thetis cum sororibus et Musis emeruisse, quæ mortuum filium lamentaretur corpusque exciperet, in Leucen insulam dela-

1. *Odys.*, xxiv, 47 et seq.

tura¹. Ibi Achilles, immortalis factus, Helenam, pariter immortalem, in matrimonium duxit, si Philostrato creditur², Nereidesque conveniunt ad nuptialem pompam. Æschylus præterea, ut fragmentis compertum est, cum Achillean fabulam tractaret, tragœdiam, Nereidum nomine, conscripsit: in qua Nereides videntur chori partes egisse, emersæque e fluctibus arma a Vulcano fabricata cum Thetide apportavisse³. In Euripidis etiam *Electra* Nereides celebrantur; quæ, cum ab Euboïcis littoribus profectæ arma attulissent, classem exultando stipaverant, qua Thetidis filius ad oras Simoentis deferebatur⁴. In ejusdem *Iphigenia* Nereides inducuntur Achillearum navium insignia⁵.

Quod si a scriptis testimoniis oculos converteris ad plastica Græcorum Italorumve artificum opera, nullum argumentum vulgatius re-

1. *Cycli fragmenta* (Homerus-Didot, p. 583). Cf. PHILOSTRAT. *Heroïcus*, 20, 19; *Vita Apollon.*, IV, 16, 4.

2. *Heroïc.*, 20, 32 et seq. Cf. PAUSANIAS, III, 19, 13.

3. ÆSCHYL. *fragm.* (Didot), p. 181.

4. EURIPID. *Electra*, 442 et seq.

5. EURIPID. *Iphig. in Aul.*, 240 et seq.

peries Nereidibus Achillea arma afferentibus : talem tabulam in arca perantiqua Cypseli testatur Pausanias ¹ descriptam esse; eandemque exhibent marmorea figlinaque anaglypta ², incisæque ære effigies ³; et vasa tam multa, pictis figuris decorata, quorum enumerationem, cum alii fecerint, parum refert hic repetere ⁴.

Ea fuit antiquitus inter Achillem et Nereidas societas, ut ne Achillis filio ac posteris illæ defuerint. Fama enim erat Pyrrhum, Achillis filium, Nereidas olim prosecutas esse, cum navigando Lacedæmona peteret Hermionæque connubium, et in tumulum, Laconico littori proximum, ascendisse, unde decedentem juvenem prospicerent longius ⁵. Atque Pyrrhus ipse, rex Epiri, cum se ex Achillis

1. PAUSANIAS, V, 19, 8.

2. *Annali*, 1840, p. 122 et seq. *Monumenti*, III, 19; BENDORF, *Die Metopen von Selinunt*, p. 15. *Catal. Durand*, 1361. *Nachdenk. der Anecdota von Groggi*, pl. 70, 71.

3. *Monumenti*, VIII, 31, 1. GERHARD, *Etruskische Spiegel*, p. 65.

4. HEYDEMANN, *Nereiden mit den Waffen des Achill*, p. 19, not. 41.

5. PAUSANIAS, III, 26, 7.

progenie ortum prædicaret, nummos argenteos habuit, in quibus ab una parte Thetis Nereis effingitur, ab altera autem Achillis vultus. Alius Pyrrhus, cum filiam genuisset (quam postea duxit Gelo Syracusanus) infanti nomen imposuerat, quod divinæ stirpis monumentum esset, Nereidaque appellaverat ¹. Immo et Homero, utpote qui Achilleus vates esset, Nereides consociatæ sunt : nam in Alcæi Messenii carmine quodam inducuntur Homerum sepelientes ².

Nereides denique una cum Achille colebantur. Pausanias ait communes aras et Achilli et Nereidibus in Corinthiaco Neptuni templo et in multis Græciæ locis exstitisse; idemque refert portus, Tænario promontorio proximos, unum Achilli, alterum Nereidi Psamathe consecratos esse ³.

Ita Græcorum vis epica vetustissimam Ne-

1. JUSTIN. *Histor.*, XXVIII, 3.

2. *Anthologia græca*, VII, 1 :

Ἡρώων τὸν ἀοιδὸν Ἴφ' ἐνὶ παῖδες Ὀμηρον
ἤκαχον, ἐκ Μοιρέων γρίφον ὑφηνάμενοι·
νέκταρι δ' εἰνάλια Νηρηΐδες ἐχρίσαντο.

3. PAUSANIAS, II, 4, 8.

reidum fabulam cum tanta licentia tractaverat, ut illæ Achilleis rebus plerumque addicerentur, atque a maris imperio curaque, id est a pristino ordine deorum, descivisse videntur.

§ 4. — *De tractata a græco-romanis artificibus
fabula Nereidum.*

Dum ea tangebamus quæ de Nereidibus, aut Neptuni ministris aut Achillearum rerum sociis, Græcia tradidit, non semel facta est marmorei vel figlini operis mentio : unde constat Nereidum fabulam ab artificibus celebratam esse. Respice enim illas, jam a nobis commemoratas, Neptuni Nereidumque statuas, et quas a Platone in *Critia* descriptas habemus ¹ et quibus Corinthiacum templum decorabatur ². Similibus signis aut anaglyptis multa Neptuni delubra ornata esse facile credideris. Scopas ille, cujus nomen inter tot summos artifices quinti quartique ante Christum sæculi claruit, dicitur a Plinio cho-

1. PLATON. *Critias*, p. 116, E. Cf. supra, p. 20, not. 1.

2. PAUSANIAS, II, 1, 8.

rum ingentem marinorum deorum atque animalium effinxisse. « In maxima dignatione .. Neptunus ipse et Thetis atque Achilles, Nereides supra delphinos et cete et hippocampus sedentes. Item Tritones, et pristis, ac multa alia marina, omnia ejusdem manus, præclarum opus, etiamsi totius vitæ fuisset¹. » Quod cum tantam admirationem movisset, ut a Romanis in Flaminio circo poneretur, verisimile est artifices inde parum abstinuisse ab imitando; imitationem vero deprehendere non possumus, cum veram ipsam eximii illius exemplaris imaginem ignoremus. Hoc saltem, collatis monumentis, animadvertendum est marina numina variaque maris animalia persæpe a græco-romanis artificibus expressa esse.

Nereidum, aut hippocampis aut pisticibus insidentium, figuræ sunt, e marmore exsculptæ, et in *Vaticano* Urbis² et in villa quæ *Al-*

1. PLIN. *Hist. Natur.*, xxxvi, 4, 13. Cf. L. URLICHS, *Skopas Leben und Werke*, p. 126 et seq. HEYDEMANN, *Nereiden mit den Waffen des Achill*, p. 18, not. 29.

2. *Belvedere*, n° 61; *Braccio nuovo*, n°s 34 et 35.

*bani*¹ dicitur et in Neapolitano² atque Florentino³ musæis. Is numerus est pictarum Nereidum cum Tritonibus ac marinis animalibus ut aliarum imaginum vix frequentiorem usum invenias. Si quis enim Pompeianas ruinas peragrabit, aut Neapolitanos porticus ubi tot Pompeianæ Herculanæque reliquiae exponuntur, habebit ante oculos innumeram marinorum numinum seriem, parietibus depictam; quorum singula nunc non describam, cum fere eadem sit omnibus corporibus species, vario tantum habitu variisque ornamentis distincta⁴. Et pavimenta sunt opere vermiculato composita, quæ easdem vel consimiles imagines pedibus ambulantium olim submittebant⁵. Quid referam tot incisas gem-

1. *Catalogue*, n^{os} 150, 158, 162, 969.

2. *Museo nazionale*, n^o 526.

3. *Catalogue*, n^o 162.

4. Vide HELBIG, *Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens*, n^{os} 307-311; 1027-1040; 1065-1077.

5. Cf. *Bulletino dell' Istituto*, 1862, p. 153; 1871, p. 177. FRÖHNER, *Musée de sculpture*, n^o 49, p. 76. *Revue Archéologique*, 1851, p. 373, pl. 166. *Archæologische Zeitung*, 1854, p. 263; 1857, p. 10* et seq.; 1860, p. 113 et seq., pl. 143.

mas¹, et ipsam quorundam imperatorum lorricam², immo cassidem³, Nereidum imagine exornatam? Si qua igitur inventa sunt, aut in Italia aut in regionibus quæ olim Romanorum fuerunt, templorum vestigia, et balneorum, et villarum, ibi plerumque eædem marinarum rerum figuræ apparuerunt.

Quæ, quam celebratæ essent, ex ipsis quoque scriptorum, poetarum maxime, testimoniis patet. Notissima sunt Virgilio de Nereidibus carmina⁴; et Catulli de Thetide ac Nereidibus sororibus, e gurgite vasto exstantibus⁵. Quæ non repetam, cum omnibus præsto sint nec multum Nereidibus depingendis uterque poeta indulserit. Hic potius referenda puto quædam ex Ovidio, e Statio, atque e Claudiano deprompta carmina; illi, cum plerumque, decedentibus jam in pejus

1. Cf. *Annali*, 1841, p. 134. BUONAROTTI, *Osservazioni sui medaglioni*, p. 113. *Musée Fol, Intailles*, pl. XXIV, n° 4.

2. Vide, in villa *Albani*, n° 318. PLATNER, *Beschreibung Roms*, III, p. 232, n° 25 (in villa *Borghese*).

3. *Bull. Arch. Neapol.*, Ann. 6, p. 189, tab. 14.

4. *Georgic.*, IV, 334 et seq.; *Æneid.*, V, 817 et seq.

5. *Epithal. Pelei et Thetidos*, 17 et seq.

litteris, vana quadam describendarum rerum libidine magis impellerentur quam certo sermonis flumine, delectabantur copiosioribus verbis atque minutissima quæque studiose depingebant. Itaque his vocibus Neptunium comitatum Ovidius ostendit :

Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum,
 Proteaque ambiguum, balænarumque prementem
 Ægæona suis immania terga lacertis,
 Doridaque et natas : quarum pars nare videntur,
 Pars in mole sedens virides siccare capillos ;
 Pisce vehi quædam : facies non omnibus una,
 Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum ¹.

Arbitror non de suo Ovidium concepisse illas Nereidum imagines, sed habuisse ante oculos veram tabulam, ex qua diligentissime exprimeret varios puellarum habitus.

Nec minus imitator pictæ exsculptæve veritatis Statius videbitur, villam Surrentinam describens :

Gratia prima loci, gemina testudine fumant
 Balnea, et e terris occurrit dulcis amaro
 Nympha mari : levis hic Phorci chorus, udaq̄ue crines

1. *Metamorph.*, II, 8 et seq.

Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.
 Ante domum tumidæ moderator cæruleus undæ
 Excubat, innocui custos laris : hujus amico
 Spumant templa salo ¹.

Applicatas balneorum parietibus imagines
 poeta illis versibus exprimit, atque ita vivide
 exprimit ut ipsum pictarum rerum colorem
 verbis (*viridis, cæruleus*) significet.

Alia denique certissima tabularum imitatio
 est in his Claudiani vocibus :

Prorupit gurgite torvus

Semifer : undosi verrebant bracchia crines,
 Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
 Qua pristis commissa viro.
 Umbratura deam retro sinuatur in arcum
 Bellua : tum vivo squalentia murice terga
 Purpureis mollita rosis. Hoc navigat ostro
 Fulta Venus; niveæ delibant æquora plantæ.
 Prosequitur volucrum late comitatus Amorum,
 Tranquillumque choris quatitur mare. Serta per omnem
 Neptuni dispersa domum. Cadmeia ludit
 Leucothoe, frenatque rosis delphina Palæmon;
 Alternas violis Nereus interserit algas;
 Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
 Nec non et variis vectæ Nereides ibant,
 Audito rumore, feris : hanc pisce volutam
 Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris;

1. *Silv.*, II, 2, 17 et seq.

Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
 Trux aries; hæc cæruleæ suspensa leænæ
 Innatat; hæc viridem trahitur suspensa juvenum ¹.

Quid talibus versibus significantius? Id studium apparet in describendis corporum motibus, ut certi cujusdam artificii imitator Claudianus deprehendatur. Nonne ipse marinorum numinum triumphus ante oculos ponitur, qualem habemus in multis aut anaglyptis aut picturis? Ita res a tot artificibus tractatas poetæ libenter retractabant. Immo et illæ pictæ exsculptæque tabulæ et a poetis expressæ quasi ad vitam ipsam adducebantur; placuitque semel non effigies mutas, sed vivos homines animatosque oculis spectantium in circo proponere : testatur enim Martialis juvenes natatores, Nereidum Tritonumque habitu, in amphitheatrali æquore a Tito exhibitos esse ². Quid plura? Celebratissimas esse romana ætate Nereidum marinarumque re-

1. *De nuptiis Honorii et Mariæ*, 144 et seq.

2. *De spectaculis*, xxvi :

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
 Et vario faciles ordine pinxit aquas.

rum imagines satis declarant tot conservata, aut marmore ficta aut verbis composita, monumenta.

Quæ omnia, si attente consideraveris, notabis antiquam Nereidum fabulam, romanis temporibus, adeo non duravisse sinceram atque integram, ut diversis fabulis illa vulgo admisceretur. Etenim in Luciano¹, raptam Europam describente, supra vidimus circumsilientem Nereidum coronam; atque ea utriusque fabulæ confusio facta est, ut, quemadmodum Europa a Nereidibus plerumque stipata erat, ita Nereidum choro vix unquam Europa deesset: namque in multis anaglyptis inter Nereidas, variis feris invectas, puella apparet, tauri collo suspensa.

Altera fabularum confusio est, qua Nereides ministerio Veneris addictæ videntur. Cum enim diceretur Venus ex undarum spuma exorta, marinis numinibus annumerabatur et quasi vices Amphitrites obtinebat; ut Diana Nympharum, ita Venus Nereidum regina

1. Vide supra p. 21. Cf. OVERBECK, *Kunstmythologie*, II, p. 439 et seq.

habebatur : quæ sic loquitur apud Statium ¹ :

Quantum Latonia Nymphas
Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exsto.

Itaque apud Claudianum, cujus versus supra attuli, dum Venus iter facit nuptiis Honorii Mariæque adfutura, dorso vehitur monstri marini, Nereidesque circumnatant, dona sponsalia gerentes. Eadem Nereidum corona cinctam deam Apuleius ostendit ². In multis denique anaglyptis et picturis imagines videas Amorum Cupidinumque, Veneris comitum, inter Nereidas volitantium.

De tertia fabula, fabulæ Nereidum admixta, dicenda quoque pauca sunt. Cum enim Bacchi res essent ea ætate pervulgatæ, celebrabantur in multis picturis carminibusque et Satyrorum tumultuosæ catervæ, cum tibi-
cinibus exsultantes, Faunique capripedes, et Mænades furiosæ, et Silenus ebrius inter Nymphas, et Centauri variæque belluæ, tigres, leones, cervi, et qualescumque figuræ

1. *Silv.*, 1, 2, 117.

2. *Metamorph.*, IV. Cf. *HIMER. Orat.*, I, 20.

vi quadam bacchicæ religionis in usum venerant; adeo ut vix parietem Pompeianam nunc reperias talibus aut Satyris aut animalibus non ornatam. Itaque non miraberis implicari Nereidas Satyris, Mænadibus, Centauris, tigribus, omnibus in piscem desinentibus, solemnemque Bacchi exercitum natare ¹.

Ex illis omnibus græco-romanæ ætatis monumentis satis intelligitur quantopere Nereidum figuræ in exornandis publicis privatisque ædibus usurparentur. Nec immerito, cum vix imaginem effingeres decorandis parietibus pavementisque aptiorem ². Respice mollem formosumque natantium puellarum habitum, incompositam sororum catervam, amatorios amplexus, stillantes capillos vel auræ deditos, commixtas et adulteratas miro artificio alienigenas venustates, membraque multifarie implicata; corpora altera ex parte feminea, altera vero hispida et in piscem desinentia; pectora nunc nuda, nunc volantibus velis et quasi pelucidis involuta; colorumque varietates, mul-

1. Cf. CAMPANA, *Opere in plastica*, p. 48.

2. Cf. O. JAHN, *Arch. Zeitung*, 1860, p. 115.

tiplices denique caudarum orbes in amœnissima figmenta exeuntes.

Ita Nereidum fabula ab antiqua religione paulatim degeneraverat; jamque tota ad oculorum voluptatem versa et ad vana gaudia, in nugatorias figurarum formationes, in lepidas concinnitates atque gracilitates, mera ornamenta, sese extenuaverat.

§5. — *De Nereidum forma, indole ac propriis studiis.*

In omnibus fabulis, quarum supra mentionem feci, una eademque est Nereidum, formosarum puellarum, effigies. Dulcissimis enim nominibus ab Hesiodo distinguuntur, alia ἐρέεσσα dicta, alia χαρίεσσα, alia εὐειδής, alia εὐστέφανος, alia φύην τ' ἐρατὴ καὶ εἶδος ἄμωμος. Eximia porro est Thetidis pulchritudo, quam fama erat simul a Jove Neptunoque petitam esse; ejusdemque venustissimæ Nereidis amore incensum Pelea Catullus canit, cum primum vidissent

Mortales oculi nudato corpore nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite vasto ¹.

1. *Epithalam. Pelei et Thetidos, 17.*

Ac supra commemorata est Andromedæ fabula, monstro traditæ, cum sese Nereidibus venustio rem Cassiepeia mater prædicavisset. Adde et Propertii carmina, quibus amicæ Cynthiæ pulchritudo laudatur :

Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos
 Esses Ionii facta puella maris,
 Et tibi ob invidiam Nereides increpitent,
 Candida Nesæe, cærulea Cymothoe ¹.

Ita, si quis puellam diceret Nereidibus formosio rem, egregia laus videbatur.

Præterea benignæ existimabantur Nereides auxiliaresque hominibus, quæ puppes et prosequerentur et adjuvarent. Illæ enim, ut fabula narraverat, Argonautarum expeditioni olim consuluerant: cum periculum esset ne navis opprimeretur errantibus scopulis et incerto æquori suppositis, omnes, concursu facto, carinam sublatam super saxa portaverant, aliæ ab aliarum manibus excipientes ². Illæ etiam viam aperuerant Græcorum classi, Trojam petenti. Si quando navis facili lapsu

1. *Eleg.* II, 26, 13 et seq.

2. APOLLON. *Argonaut.*, IV, 939 et seq.

aquas proscindebat mollemque spumæ æstum submovebat, viam sequi videbatur a Nereidibus factam, ἐκχτομπόδων Νηρηίδων ἀκόλουθος ¹. Quapropter Nereidas νόστου σωτήρας Philoctetes invocat ², et pro Metio Celere amico navigante Staius precatur ³. Ob eandem causam in proris sæpe exsculptæ erant Nereidum figuræ, quæ navigia servarent ⁴: nec dissimili ratione mos est, nostris temporibus, Sanctorum imaginibus proras sacrare.

Qua benignitate præditæ Nereides fingentur, testis est Lucianus in *Dialogis Marinis*. Etenim cum audierint illæ inclusam arca fragili cum filio Danaen fluctibus jactari, a lacrimis non temperant: « Eia opitulamini, inquit una, et ita agamus ut in piscatorum retia arca incidat, unde ambo excipiantur incolumes ⁵. » Alia autem: « Eia igitur, ait, ne

1. SOPHOCL. *Œdip. Col.*, 716.

2. SOPHOCL. *Philoctet.*, 1471.

3. *Silv.*, III, 2, 13 et seq. Cf. OVID. *Heroïc.*, v, 57:

Utque celer venias, virides Nereidas oro.

4. *Arch. Zeitung*, 1866, p. 218.

5. LUCIAN, *Dial. mar.*, XII, 2.

miseræ matri, ne filiolo deesse videamur. » Easdem mitiores etiam in alio dialogo invenias. Nam, cum Cassiepeia ausa sit ipsas contemnere, tamen ne Andromedæ quidem ejus filiæ irascuntur, utpote immeritas pro impia matre pœnas luenti, sed expositam voraci belluæ miserantur et comprobant a Perseo liberatam esse¹. Ipsaque nomina benignitatem declarant, Εὐκράντη, Εὐδώρη, Εὐαγόρη, Εὐπόμπη, Ἀψευδής, Νημερτής, Σχώ.

Puellarum festivis studiis indulgent Nereides. Choros una ducere solent quacumque ingrediuntur. Virginalibus ludis saltando complent nunc Neptuni cavernam², sub aquis sitam, nunc Naxi candidam arenam³, nunc Thessaliæ littus, ubi dii omnes Pelei nuptiis assident⁴. Aut flumina celebrant, media nocte, lucente luna, astrisque volventibus⁵; aut, classibus summo fluctu delabentibus, naves comitantur subsiliendo et mobili corona

1. LUCIAN. *Dialog. mar.*, XIV, 4.

2. EURIP. *Troad.*, 2.

3. EUSTATH. *ad Odys.*, 1458, 40.

4. EURIP. *Iphig. in Aul.*, 1036.

5. EURIP. *Ion*, 1078 et seq.

cingunt ¹. Fere nunquam apud veteres de Nereidum turba mentio fiebat, neque de cohorte, neque de agmine, sed de choro semper ². Neque earum fingebatur alia imago aliusve habitus, nisi saltantium ³. Confer tot anaglypta græcæ aut romanæ ætatis, statuas, Pompeianas tabulas, vasa pictis figuris exornata, gemmas et quicquid exhibet aliquam Nereidis formam. Corpora vides sese nunc attollentia, nunc remittentia, molles dorsi collique inflexiones, incurvata brachia, implicatum pedi pedem, vestimentum nunc fluens nunc aura distentum; tot delphinos in orbem circa emergentes, tot marina monstra convexum dorsum virginibus submittentia; caudarum denique circulos variumque im-

1. EURIP. *Elect.*, 433 et seq. APOLLON. *Argonaut.*, iv, 936. *Stat. Silv.*, III, 2, 13 et seq.

2. SILIUS ITAL., *Punica*, III, 412 et seq. :

. . . Fluit omnis ab antris
Nereidum chorus et sueto certamine nandi
Candida perspicuo connectunt brachia ponto.

3. Cf. PHILOSTRAT. *Imagines*, II, 8, 3 : Εἰκόσ γάρ ξυγχορεύειν τὰς θεάς. HIMER. *Orationes*, XVI, 2 : Σὲ δὲ καὶ Νηρηίδων ἀλιπορφύρων χοροὶ ἄκροισ ἐπισκιρτῶντες τοῖς κύμασι κύκλῳ περὶ πᾶσαν χορεύουσι.

plexum. Quid illa omnia volunt? Quid est illa nunc incomposita, nunc numerosa puellarum ferarumque mobilitas, nisi exsultantium certa effigies et choreas in æquore exercentium?

Nec sua puellaribus ludis musica deest. Dum Nereides in æquore huc illuc moventur, dum venustæ illæ virgines corpora inclinant saltatricum more, aliæ vehentis Tritonis Centaurive collum prensantes, pedemque retrahentes quasi tactum assilientis aquæ vereantur, aliæ sublatis manibus digito volitantem vestem reducentes, tum Tritones psallunt aut concha buccinant¹. Ipsæ etiam Nereides, orbis orbibus summo mari connectendo, concinunt et divinum murmur effundunt late circum². In quibusdam artificum operibus, apparent organis instructæ. Exempla afferam et Pom-

1. Hoc in multis anaglyptis apparet vel picturis. Vide Monacense anaglyptum (Schorn, *Beschreibung der Glyptothek*, p. 106), pluresque sarcophagos. Pompeianam tabulam illustrat HELBIG, in *Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens*, n^o 308.

2. HOMER. *Odys.*, XXIV, 48 : Βοή δ' ἐπὶ πόντον ὀρώρει — θεσπεσίη. Cf. EURIP. *Iphig. in Taur.*, 427 et seq. : Ὅπου πεντήκοντα κορᾶν — τῶν Νηρηίδων χοροὶ — μέλπουσιν ἐγκύκλιοι.

peianam picturam ¹, et musivum pavementum in Africa repertum ², et exsculptum anaglyptum in fornice sepulcri, de quo supra locutus sum in procœmio, in *Latina via* siti ³: in quibus Nereidis effigies est vel hippocampo vel pistrice invectæ manuque lyram gerentis ⁴. Adde aliqua nomina Nereidum, quibus suavitas vocis significabatur, Λειαγόρη, Εὐαγόρη ⁵, Λιγεία ⁶. Immo quædam sunt et Nereidibus et Musis nomina communia, Ἐρατώ ⁷, Θάλεια, Κλειώ ⁸: unde perspicuum est Nereidas rebus musicis indul-
sisse.

De Nereidum studiis disserenti pauca dicenda sunt de colo. Etenim in Hesiodi *Theogonia* dicuntur illæ ἀμύμονα ἔργα εἰδούαι ⁹. Quæ verba, ut dubia primum videntur, ita apertis-

1. HELBIG, *Wandgemälde*, n° 1033.

2. *Revue archéologique*, 1851, p. 373 et seq.

3. Vide p. 3 et seq.

4. Aliam exhibet Pompeiana pictura virginem, cujus in manu concha est (HELBIG, *Wandgemälde*, 1031).

5. HESIOD. *Theogon.*, 257.

6. VIRGIL. *Georgic.*, IV, 336. Cf. HYGIN. *Præfat.*

7. HESIOD. *Theog.*, 247; APOLLOD. *Biblioth.*, I, 2, 7.

8. HYGIN. *Præfat.*

9. *Theog.*, 264.

sime explicabuntur, si hæc contuleris e Pindaro deprompta. Ille, cum de Amphitrite mentio sit, χρυσολύκκτον Ἀμφιτρίτην appellat, id est aurea colo instructam ¹. Nereidas autem stamini dantes operam exhibet quædam figlini vasis pictura ². Præterea in Virgilio ³, *Milesia vellera Nymphæ carpebant et fuis mollia pensa devolvunt*. — At Nymphæ, non vero Nereides. — Nymphæ quidem una omnes a poeta vocantur; sed Nereidum nomina quædam afferuntur (*Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque*); quæ in Nereidum recensioibus invenies, ab Homero, Hesiodo, Apollodoro, Hyginoque traditis: unde suspicor Virgilium, cum illos versus scriberet, non nihil debuisse pristinis quibusdam fabulis ad Nereidas colosque Nereidum pertinentibus.

Explorato quicquid de Nereidum fabula a veteribus excogitatum est, quoniam nunc liquet quæ fuerit earum generatio, quæ effigies, quale officium, qualis indoles, quæ stu-

1. *Olympic*. VI, 177. Cf. EUSTATH. *ad Odys.*, 1488, 31.

2. *Élite des monuments céramographiques*, t. III, pl. 36 B.

3. IV, 334 et seq.

dia, consideremus quid sit in iis quod ad funus spectare videatur.

Prima hæc est opinio, quam duobus abhinc sæculis docti viri protulerunt ¹. Nereidum figuras arbitrantur ob eam causam funereas esse, quod illæ aquam significant, aqua autem significet rerum mutationes alternasque vitæ atque mortis vicissitudines. Aquam enim, id est Oceanum, vetustissimi Græci putabant esse universi mundi originem ac principium; hinc Homerus ait ²: Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. Hinc et Virgilius: *Oceanumque patrem rerum* ³. Cum talis Oceanus haberetur, necesse erat, quemadmodum omnia ab eo defluerant, ita in ejus gremium omnia reverterentur corruptaque delaberentur, ne deficeret materia, ex qua nova nascerentur. Ita nihil sine Oceani humore exoriri, nihil emori

1. BUONAROTTI, *Osservazioni sui medaglioni*, p. 113; BELLORI, *Le antiche lucerne sepolcrali figurate*, pl. 4; cf. quæ idem de Nasoniorum sepulcro affert in Grævii *Thesaurο antiquitatum romanarum*, t. XII, p. 1054.

2. *Ilias*, XIV, 246. Cf. de Thale Milesio (Cic. *de Natur. deor.*, I, 10).

3. *Georgic.*, IV, 382.

posse videbatur. Inde fiebat ut Nereides, Oceani progenies, ad rerum hominumque interitum quodam modo pertinerent.

Altera opinio est pervulgatissima, nec tamen probabilis. Creditur Nereidum effigies ob nullam aliam causam sepulcris adhibitas esse, nisi ut earum imago animos in cogitationem Elysiorum camporum induceret: esse enim apud veteres fabulam de quadam fortunatarum insularum sede, bonis viris, qui vita excessissent, destinata; esse præterea hæc illa loca Occidentem versus sita, in extremis terrarum marisque finibus; ideoque non posse homines illuc pervenire nisi navigavissent. Cum autem Nereides haberentur benigna erga nautas numina, nonne æquum erat eas, quemadmodum vivorum navigationibus consuluerant, ita defunctorum animis, maritimum ad beatas insulas iter facientibus, consulere? Adde quod illæ narrabantur Achillem e rogo exceptum simul cum Thetide matre in Leucen, Ponti insulam, trans mare deduxisse, ubi immortalis ævo frueretur¹.

1. ARCTIN. *Æthiopia* (Homer.-Didot, p. 583).

Alia etiam ad mortem spectantia in Nereidum fabula, si liberet, deprehenderes. Nam, si versibus quibusdam creditur ex orphico hymno depromptis, Nereides videntur cum inferorum dea societatem habuisse; quippe quæ Proserpinæ mysteriis olim humanum genus initiavissent¹. Talia commemorantur et in Euripidis *Ion*, ubi de Nereidibus mentio est, in honorem Proserpinæ et Cereris media nocte choros agentibus².

Si denique colo assuetas Nereidas notaveris, veniet in mentem eadem colo Parcas instructas esse, humanæ vitæ moderatrices deas funerumque effectrices. Quæ cognatio inter Parcas et Nereidas non ex ea solum similitudine apparebit. Nam et Thetidis nuptiis Parcæ simul cum Nereidibus olim adfuisse dicuntur, et Hyginus in illa, quam tradidit, Nereidum recensione, unam refert *Mæram* nomine (Μαίρα) appellatam, quod Parcarum nomen est. Quæ cum ita sint, non mirabile videbitur Nereidas inter sepulcralia numina posse numerari.

1. *Hymn. Orphic.*, 23, 9 et seq.

2. EURIPID. *Ion*, 1081.

Hactenus de opinionibus. Sed cui assentiemur? Oceanum quidem rerum initium atque patrem antiquitus haberi ex multis testimoniis manifestum est, neque repugnabo. Sed si omnia ex eo nascuntur, causa non est cur omnia rursus per eum intereant. Non enim necesse est is sit utique interfector atque consumptor, qui pater est et creator. Argumentum existimo acutioris ingenii.

Quod ad secundam opinionem attinet, de Nereidibus animarum ducibus nunquam veteres loquuntur. Ut illæ vivorum navigationibus consulunt, ita mortuorum tristibus migrationibus solus Mercurius præfectus est. Quos, cum ad extremas terrarum partes deferre debeat, non navigando mare trajicit, sed per terrestrem viam aurea virga compellit in nocte obscura volitantes, vespertilionum more, atque clamitantes, donec prata assequantur asphodelo sata ¹. Arctinus quidem Nereidas inducebat, dum Achillem in Leucen insulam comitabantur a Thetide deportatum; sed hoc proprium Arctini commentum videtur esse.

1. HOMER. *Odyss.*, XXIV, 1 et seq.

Quod, cum neque in Homeri *Odyssea*, exsequias Achillis describentis, invenias, neque ab alio vel vetustiore vel recentiore poeta cantatum sit, neque ab ullo artifice aut pictum aut exsculptum, vix approbare potes a veteribus vulgo acceptum esse. Hoc unum Græci arbitrabantur, Achillem in insula quadam, utpote ex immortalis genere creatum, immortalem versari : quomodo autem quaque via illuc pervenisset, minime curaverant.

De orphicis versibus, aliquam Nereidum Proserpinæque societatem illustrantibus, non est cur disputem. Etenim orphicis hymnis non declarantur communes vulgi sententiæ; sed prædicatur quædam ex variis novisque elementis elaborata philosophia; quæ nec pura erat, cum ab asiaticis religionibus parum abstineret, neque certa, cum carminum ætas vix definiri possit.

Ea denique superest, quam tetigimus, cognatio inter Nereidas et Parcas. Sed quis eam primo comprobabit? Pauciora et obscuriora sunt hujus cognationis argumenta, quam ut assensio non cohibeatur.

Præter illam dubiarum opinionum diversitatem, nihil ex antiquis fabulis de funerea Nereidum significatione colliges. Quid sentiendum igitur, nisi nihil esse in theogonia veterum, nihil in religione, nihil in epicis carminibus, nihil in artificum operibus, ex quo intelligere ac certis argumentis demonstrare valeamus qua ratione Nereidum figuræ ad funus pertinuerint?

PARS ALTERA

§ 1. — *De recentiorum Græcorum cum veteribus cognitione.*

Quamvis compertum habeamus in veterum fabulis non posse aliquem discernere funeream Nereidum significationem, tamen causa non est cur omnem spem rei explicandæ deponamus; sed ab antiquitatis testimoniis aversi, ea consideremus quæ nostra ætate a rusticis Græciæ incolis vulgo de Nereidibus traduntur. At ne cui forte mirabile videatur eam nobis potissimum probari rationem, quæ ex novissimis fabulis vetustissima excutiat, aliqua primo dicenda puto de ea, quæ interest veteres inter recentioresque Græcos, cognitione.

Nonnulli quidem dubitaverunt esse ullam inter utrosque necessitudinem; quippe qui

reputarent Græciam nunc barbarorum incur-
sionibus peragratam, nunc a variis gentibus
ex Albania, Thracia, Italia, Asia profectis oc-
cupatam; et infusum toties græco sanguini
alienum sanguinem; et insertos mores et ad-
venticia verba. Cui autem dubitationi non as-
sentiatur, si quis in Græcia diutius vivendo
explorare voluerit quomodo incolæ sese habe-
rent. Quacumque enim ingredimur, vivas an-
tiquæ Græciæ reliquias invenimus. Idem est
adhuc acumen ingenii, quod olim philosophos
æque ac sophistas genuerat, nunc autem so-
phistis similiores gignit quam philosophos;
eadem diserta verborum copia et dialectica
subtilitas et socratica disserendi deverticula;
eadem indoles libertatis amantissima, certi
tenoris impatiens, ardens ad res novas et igno-
tas, mercaturæ studiosa et in longinquas pe-
regrinationes audax. Necdum veteris linguæ
usus interiit; quæ, quamvis alienis vocibus
admixta sit et a pristina virtute desciverit,
tamen originem suam eximie declarat neque
magis a Demosthenis lingua distat quam a
latina gallica nostra. Talia proverbia nunc

etiam invenias qualia a veteribus Græcis usurpari solebant¹. In multis præterea narratiunculis, quæ vulgo de hominibus traduntur, vetustarum de diis fabularum subobscuram imaginem agnoveris². Adde tot conservatos ab antiquis temporibus usus, seu nascentibus pueris nomen imponatur, seu conficiantur nuptiæ, seu defuncti complorentur³. Quæ si quis omnia, toties a gravissimis viris notata et nunc adhuc inquirentibus viatoribus obvia, collegerit, fatebitur nonnihil in Græcia ex præteritis sæculis superesse atque antiquarum fabularum vestigia in recentioribus fabellis indagari posse.

Quid, si cognoverit recentibus Græcorum

1. Cf. Συλλογὴ παροιμιῶν τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων μετὰ παραλληλισμοῦ πρὸς τὰ τῶν ἀρχαίων, ὑπὸ Ἰωάννου Φ. Βερέττι (Lamia, 1860).

2. F. LENORMANT, *Monographie de la voie sacrée éleusienne*, p. 398 et seq.; PERROT, *Croyances et superstitions populaires des Grecs modernes (Mémoires d'archéologie, d'épigraphie et d'histoire)*, p. 314 et seq.; AMPÈRE, *la Poésie grecque en Grèce (Grèce, Rome et Dante)*, p. 67; GANDAR, *Lettres et souvenirs d'enseignement*, t. II, p. 469 et seq.

3. CURT. WACHSMUTH, *Das alte Griechenland im neuen — mit einem Anhang über Sitten und Aberglauben der Neugriechen bei Geburt, Hochzeit und Tod* (Bonn, 1864).

cantilenis et narratiunculis remanere vetustissima quæque et homerica ætate plerumque anteriora? Charontem enim, de quo multa recitantur, nunquam videas ab hodiernis Græciæ incolis pro nauta haberi aut pro Orci portitore, qualem vetera testantur tot scriptorum artificumque documenta ¹. Ille autem nunc creditur, ut ex multis cantilenis patet, per omnes terras vagabundus vel pedes vel equo vectus : vivos aut gladio ferit aut dolo captat, quos in infernas mortis sedes detrahat ². Qui cum tali sub specie in Etruriæ monumentis appareat ³, quid sentiendum? Num ab Etruscis excogitatam Charontis fabulam et a tusca origine delapsam esse in recentiorem Græciam aliquis putaverit? Vetus contra nonne est fabula, quæ ad communia quædam antiquissimaque græcarum italarumque gentium incunabula referenda sit?

Talia invenies multa in iisdem cantilenis et

1. LUCIAN. *Dialogi mortuorum*. VIRGIL. *Æneid.*, VI, 298 et seq. *Bull. de corr. hellén.*, I, p. 39 et seq., tab. I et II.

2. LEGRAND, *Recueil de chansons populaires grecques*, p. XXXIII et seq.

3. AMBROSCH, *de Charonte Etrusco*.

narratiunculis fabularum exempla, vetustissimæ ætati addicenda. Quas non retinuisse Græcia videtur, cum ab insignibus poetis exculsa adolevisset. Nec mirum : attendamus enim ad pristina illa tempora, de quibus initio opusculi disserui ; quæ mente potius quam sæculorum computatione comprehendere licet. In illa fecunda Græciæ novitate, cum singularis esset popularibus ingeniis vis insita quæ religiones conciperet, commentaque fingeret, undique fabellæ, veluti scaturientes, libero quodam impetu erumpebant et sese per pagos in vagum copiosumque flumen effundebant. Quæ cum primum passim nascerentur, et sine lege recitatæ traderentur, paulatim factum est ut aliæ aliis consuerentur. Hinc illæ deorum generationes ; hinc illæ compositæ de egregiis viris historiæ ; quarum materiam, ab ignotis rhapsodis collectam Homerus ita tractavit, ut illa in unum corpus coalesceret, et jam solida firmaque constaret. Quapropter, quicquid habemus a Græcis cantatum, ab Homero plerumque emanavit : pauca sunt aut in eorum religione, aut in scriptorum arti-

ficumve operibus, quæ Homero non assignentur, priscarum fabularum ordinatori.

Sed in homerica illa rerum divinarum humanarumque ordinatione, multæ fabellæ deciderunt : nam, si quis indigesta componere velit, necesse est alia eligat, alia autem rejiciat. Cum igitur multa decidissent, ab Homero utpote omissa, eadem ab omnibus Græciæ scriptoribus, homericam venam semper eruentibus, neglecta sunt et longa oblivione obruta jacuerunt. Sed ne quis arbitretur ea unquam disturbata periisse. Nihil enim popularibus animis tenacius, incorruptis atque integris testibus ; quorum natura, ut ad rerum novitatem ineptissima est, ita semper sibi constat, neque a prisco more suo fere declinat. Itaque, cum homerica semina, per Græciam omnem dissipata, lætas segetes funderent ævumque decem sæculis grandius locupletarent, obscure durabant interea vetustioris ætatis narratiunculæ, paganorum mentibus infixæ, atque continuo per ora traditæ, donec in lucem rursus prodirent, jam obrutis litteratæ Græciæ monumentis. Cum enim, everso quicquid de

vetere laude superesset, omnes Græciæ incolæ ad rude illud ac depressum vivendi genus redigerentur, quo olim pagani ante Homerum utebantur, tum narratiunculæ illæ, tum cantilenæ, tum fabellæ non occulto sed aperto rursus flumine manaverunt et adhuc manant. Et si quis aquas, alienis rivulis auctas et turbidas deliquare paulum tentaverit, plurimas pristinarum fabularum reliquias et quasi micæ aureæ sinceritatis recolliget.

§ 2. — *De Nereidibus apud recentiores Græcos
vel de Aneräidibus.*

Inter tot varias fabulas, ab ultima vetustate repetitas, quæ in recentiore Græcia pervulgantur, quibusque celebratissimis plebeia musa nunc indulget, multæ ad *Aneräidas*¹ pertinent. Quas cum et alienigenæ et in Græcia multi

1. Diversa nomina sunt hæc in usu communi: Νεράγιδες, ἀνεράγιδες, ναράγιδες, νεράιδες, ἀνεράιδες, νεράδες, ἀνεράδες, ναράιδες. Quo facilius fiat in legendo veteris recentiorisque nominis discrimen, semper in opusculo *Aneräidas* usurpabo.

jam commemoraverint, rursus enumerare, cantilenas explicando, supervacuum est. Ne singula recenseam neu ab opusculi proposito declinem, satis erit si de hodierna Aneïdum religione aliqua attulero, quibus deficientis antiquitatis documenta illustrentur, et prisca Nereidum effigies rursus appareat.

Hoc primum notabo, præter communem nominis radicem, esse Nereidibus atque Aneïdibus non nullam similitudinem. Nam eadem est utrisque egregia pulchritudo. Ut ab Hesiodo Nereidas vidimus amœnissimis nominibus distinctas ¹, ita nunc Aneïdes venustate præditæ effinguntur tam amabili ut, si quis puellam laudare voluerit, aut cum Aneïde comparisonem faciat ², aut ex Aneïde natam dicat ³, aut prædicet non ceteris

1. Cf. supra, p. 42.

2. *Annuaire de l'Association pour l'encouragement des Études grecques*, 1878, p. 123 : Μιά γυναίκα σαν Νεραΐδα 'στην όμορφιά. De quodam usitato proverbio Έχει μάτια Νεραΐδος, vide B. SCHMIDT, *Das Volksleben der Neugriechen und das hellenische Alterthum*, p. 103.

3. PASSOW, *Popularia carmina Græciæ recentioris*, n° 652 : Τῆς Άνεραΐδος γέννα. Cf. Νεραΐδογεννημέναις et νεραΐδοκαμωμέναις (SCHMIDT, p. 104).

tantum mulieribus, sed omnibus Aneraïdibus formosiorē¹.

Ut pulchritudinis, ita habitationis similitudo est. Vidimus enim ex Homero Hesiodoque Nereidas in specu versantes, sub imis fluctibus, seu cum Nereo patre ac Thetide sorore considerent², seu Neptuni ministerio addictæ regias cavernas complerent³. Pariter apud recentes Græciæ paganos opinio viget nullum esse sine Aneraïdibus specum; quapropter refert Chourmouzis in Creta antrum patere cui nomen Νεραιδόςπηλος⁴.

Studiorum denique tertia similitudo est. Etenim nunc in Græcia vulgo creditur Aneraïdas puellaribus choreis quam maxime delectari. Medio die aut nocte intempesta fama est

1. Πολίτης, Μελετή ἐπὶ τοῦ βίου τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων (νεοελληνική μυθολογία), p. 91 : ἡ ὁμορφὴ τῶν γυναικῶν καὶ ὄλων τῶν Ἀνεράιδων. De Aneraïde aliqua, adeo venusta, ut miro quodam nitore luceret, cf. HAHN, *Griechische und albanesische Märchen*, t. I, p. 300 : « welche so schön sei, dass sie Strahlen werfe. »

2. *Ilias*, XVIII, 36 et 65.

3. EURIPID. *Troad.*, 2.

4. Χουρμούζης, Κρητικά συνταχθέντα καὶ ἐκδοθέντα (Athènes, 1842), p. 69.

illas choros agere, fidibus resonantibus¹. Fabella narratur, cum a juvene quodam cithara moveretur, in arvis subito apparuisse Aneraidem, soni dulcedine captam, ac saltavisse in numerum, neque prius a tanta voluptate discessisse, quam polliceretur ille se postridie cum lyra reversurum². Præterea dicuntur Aneraides, in antris suis consistentes, et concinere³ et tenuissima stamina conficere⁴.

Cum ex varia rerum similitudine jam manifesta sit Aneraidum cum Nereidibus cognatio, nunc ad alia pergamus, quibus ad pristinarum Nereidum cognitionem perveniamus.

Cum a veteribus Græcis quinquaginta plerumque, vel a Platone centum numerentur⁵ Nereides et mari tantum marinisque sedibus addicantur, Aneraidum magna multitudo est in recentiore Græcia atque innumerabilis. Ne-

1. FAURIEL, *Chants populaires de la Grèce moderne*, discours préliminaire, p. LXXXV; POLITIS, p. 100 et seq.; WACHSMUTH, p. 30.

2. HAHN, *Griechische und albanesis-he Märchen*, t. I, p. 307.

3. SCHMIDT, p. 106 : Τραγουδάει σὺν Νεράϊδα (canit puella tanquam Aneraïda).

4. POLITIS, p. 112.

5. *Critias*, p. 116 E.

que sedem certam habent unamque omnium. Sed discretæ habitant, aliæ in fluctibus, quas *θαλασσινίς* vocant ¹, aliæ in fluminibus, τοῦ ποταμοῦ *Νεραΐδες* ², aliæ in fontibus ³, aliæ etiam in puteis ⁴. Ubicumque aqua aut scatit, aut fluit, aut stagnat, præsentēs *Aneraïdas* significat ⁵. Testantur nomina in recentiore Græcia frequentissima *Νεραΐδολίμνη*, *Νεραΐδολάγκαδο* ⁶. Inde cum in antris sæpenumero aut saliat rivulus, aut aquæ stillent rariores, aut humida rupes sudet, ob eam causam antra plerumque *Aneraïdibus* cōsecrata sunt. Præterea ab illis frequentata creduntur nemora, prataque, dum amœna frigidaque videantur. Immo sicca quoque loca ab illis incoluntur et deserta admodum ⁷, cum congesta saxorum moles aquisque torrentibus effossa, et cavernæ et ignoti reces-

1. POLITIS, p. 97.

2. PASSOW, 323.

3. L. ROSS, *Reisen auf den griechischen Inseln des ägäischen Meeres*, III, p. 43.

4. LEGRAND, *Recueil de contes populaires grecs*, p. 194.

5. SCHMIDT, p. 102.

6. POLITIS, p. 82. — In Thessalico Pindo, unde tot flumina oriuntur, montem quemdam *Νεραΐδα* appellant.

7. POLITIS, p. 84.

sus et hiatus præcipites et vasta solitudo, insidiarum ac metus plena, ad religionem populares mentes incitent.

Apparet Aneraïdibus nihil aliud significari nisi eas Nymphas, quæ toties a veteribus Græcis memoratæ sunt. Narrat Rossius, cum in insula quadam, antiquitatis vestigia explorando, Nympharum mentionem fecisset, sensitse paganos vim nominis atque dixisse : « Nymphas loqueris? Nos autem Aneraïdas appellamus ¹! » Etenim Nymphæ non aliter effingebantur candido corpore puellæ, eximia forma, eaque venustate quæ et diis ipsis amorem injiceret; quarum appellatione cum nihil suavius videretur, si quis adolescens de sponsa virgine loqueretur, Nympham eam dicebat ². Humida quæque loca, ut nunc Aneraïdes colunt, ita olim Nymphæ habitabant. Aliæ in mari sedem habebant, *θηλάσσιαι* ³ aut *ἄλιαι* ⁴.

1. ROSS, *Reisen*, III, p. 45.

2. THEOCRIT. *Idyll.*, III, 19.

3. APOLLON. *Argonaut.*, IV, 1412, Schol. : Τῶν νομῶν αἱ μὲν εἰσὶν οὐράναι, αἱ δὲ ἐπίγειοι, αἱ δὲ ἐπιποτάμιοι, αἱ δὲ λιμναῖαι, αἱ δὲ θηλάσσιαι.

4. SOPHOCLE. *Philoctet.*, 1170.

dictæ; aliæ autem in fluminibus ¹, aliæ in stagnis et paludibus ², aliæ in puteis ³. Præterea a Nymphis occupata credebantur amœna nemora virentiaque prata, de quibus Homerus ait:

νυμφῶν, αἵ τ' ἄλσασιν καλὰ νέμονται
καὶ πηγᾶς ποταμῶν καὶ πῖσαι ποιήεντα ⁴.

Multæ etiam, ὄρεσιγόνοι dictæ ⁵, in montium solitudine vagabantur aut in antris versabantur ⁶. Ibi aut choreis ⁷ indulgebant aut contentibus ⁸, aut una consistentes staminibus operam dabant ⁹.

1. APOLLON. *Argonaut.*, III, 1219 : Νύμφαι ἐλειονόμοι ποταμίτιδες. Cf. *Anthologia*, VI, 189 : Ποταμοῦ κόραι.

2. THEOCRIT. *Idyll.*, V, 17 : Λιμνάδας νύμφας.

3. ARTEMIDOR. *Oneirocrit.*, II, 27 : Νύμφαι τε γὰρ εἰσιν ἐν τῷ φρέατι.

4. *Ilias*, XX, 8. Cf. *Odyss.*, VI, 123 et seq.

5. ÆSCHYL. *fragm.*, 210 (Didot, p. 230).

6. Cf. PORPHYR., *de Antro Nympharum*.

7. Saltantes Nymphas multa exhibent anaglypta; de quibus vide POTTIER, *Bas-relief des Nymphes trouvée à Eleusis in Bull. de corr. hellén.*, V, p. 348 et seq.

8. *Hymn. homer.*, XVIII, 19 : Νύμφαι ὄρεσιτάδες, λιγύμολποι... μέλπονται.

9. HOMER. *Odyss.*, XIII, 407 :

⁹Ἐν δ' ἴστοι λίθοι περιμήχεις, ἔνθα τε νύμφαι
φάρ' ὑφαίνουσιν ἀλόφρυρα, θαῦμα ἰδεῖσθα..

Qualiacumque igitur de Nymphis a veteribus Græcis fingebantur, nunc in hodierna Græcia de Aneraïdibus accipiuntur. Ea inter utrasque similitudo est ut, quemadmodum Nymphæ cum Satyris capripedibusque Panibus exsultabant in silvis, ita Aneraïdes sæpe capripedes¹ ipsæ effingantur aut pro pedibus ungulas² habeant et mares chorearum socios secum ducant³, nomine *Neraïdous*.

Quæ omnia si collegeris cum de Aneraïdibus tum de Nymphis, quid illarum imaginibus significari censebis, nisi vim varietatemque aquarum? Sæpenumero enim videas in vallibus, in montium anfractibus, in nemoribus, in pratis, in paludibus, ubicumque multus est humor, exorientes diu vel noctu vapores, leves candidasque nebulas, fumo consimiles; quæ nunc depressæ in terram incumbunt, nunc inter rupes aut arborum comas in cælum exeunt, nunc crebrescente aura huc illuc lente feruntur, nunc in nubila congestæ imbrem

1. FAURIEL, *Discours préliminaire*, p. LXXXV.

2. POLITIS, p. 92.

3. PASHLEY, *Travels in Crete*, II, p. 232 et seq.

minantur, nunc subito aliquo impetu dissipantur. Quæ, ut in omni fere regione et nostris adhuc temporibus rusticorum animos religione et horrore complent, ita semper et ubique compleverunt et pro volitantibus corporibus, divinisque quibusdam figuris habitæ sunt ¹. Hinc illæ vagantes in imis vallibus puellæ, de quibus multæ fabellæ cum apud veteres recentioresque Græcos, tum in Germania, Scandinavia, Gallia, Britannia, Scotia enarrantur ². Hinc mystici illi ad fontes amnesque candidarum feminarum concursus, hinc lætissimi sub luna chori, hinc suaves in lucorum silentio concentus, hinc nocturnæ vestimentorum lavationes, linteaque nunc in numerum verberata nunc dispansa ubi exsic-

1. Testatur narratiuncula quædam græca, in qua Aneiraides sub specie vagantium nebularum apparent. Cf. HAHN, *Griechische und albanesische Märchen*, t. I, p. 299 : « Die Neraide erwachte zuerst, und als sie zwei weisse Wolken herankommen sah, da weckte sie ihren Mann und sprach: siehe, da kommen meine beiden Schwestern, um uns zu suchen, und bald wird auch eine schwarze Wolke kommen, das ist meine Mutter. »

2. Cf. J. GRIMM, *Deutsche Mythologie*, I, p. 399 (*Schwanjungfrauen*); p. 459 (*Nixen*); p. 917 (*weisse Frauen*).

centur, lateque in pratis explicatus candor ¹. Cum autem nebulæ leves in humidis admodum locis appareant, dicuntur illæ puellæ sese e fontibus extollere. Quapropter fabula est eas sedem præcipue suam habere ubi rivulus nascitur, in antro deserto proximi montis, sub gelida rupis umbra. Immo, ut creditur, aquæ ipsi feminæ illæ insunt, et cum aqua aut quiescunt, aut moventur : nam si sopita stagnat, dormire videntur ; si vero defluit, currere ; si inter calculos salit, exsultare ; si murmurat, canere.

Quorsum illa omnia? Ut constet esse ali-

1. PAUL SÉBILLOT, *Contes populaires de la haute Bretagne*, 2^e série (*Contes des paysans et des pêcheurs*), p. 87 : « Les fées avaient un doué (lavoir), que les anciens nomment encore le Doué-des-Fées ; elles venaient y laver la nuit, et quand les pêcheurs descendaient pour aller pêcher à la seine dans les gués de l'Arguenon, ils les voyaient occupées à leur lessive ; le jour elles mettaient leur linge à sécher sur les pentes des falaises ; il était si beau et si blanc que maintenant encore, quand on veut parler de linge bien lavé, on dit qu'il est blanc comme celui des fées. » Cf. de Aneraidum candidis vestimentis, SCHMIDT, p. 104.—Ipsæ Nereides antiquitus candidæ pingebantur, ut Himerius refert : Κατὰ δὴ ταύτης τῆς ἡόνος χρόου Νηρηίδων ἐχόρευε, λευκὰ πᾶσαι, γάλα αὐτό, οἷον ἂν ἐκείνο γένοιτο τέχνας ποιμένων ἰστάμενον (*Ecloga*, XIII, 21).

quam aquarum religionem popularibus ingeniis natura insitam; quæ, cum nusquam defecerit necdum deficiat, prioribus Græciæ incolis deesse non potuit. Illi igitur putaverunt in aquis omnibus latere vim divinam qua illæ moverentur; geniosque (δαίμονες dixerim, si antiqua voce dixerim; στοιχειῶν.¹ vero, si recentiore) femineo corpore figuratos crediderunt aquarum habitatores; quibus ex ipso aquæ nomine (νερό)² Nereidum nomen imposuerunt. Unde intelligitur Nereidas antiquitus habitas esse non maris tantum propria numina, ut supra eas in veterum monumentis cognovimus, sed assignatas aquis communiter deas, quales ab hodiernis Græcis adhuc existimantur.

Qua autem ratione factum sit ut in antiqua Græciæ litteratæ ætate ad solam maris habitationem Nereides redigerentur, paucis explicabitur. Nam, ut opusculi initio demonstravi, nihil in Græcia erat mari præsentius, nihil felicius. Adde quod iis temporibus, qui-

1. FAURIEL, *Disc. prélim.*, p. LXXXII.

2. *Etym. Magnum*, s. v. νερόν.

bus popularium de diis hominibusque fabellarum multitudo diversa ordinari cœperat, atque in certam carminum formam componebatur, tum acciderat ut Græcia fere tota omnem operam in marinis laboribus consumeret. Testis est Thucydides, dum imperium maritimum refert ea ætate exstitisse in Cycladibus; testis Trojana expeditio; testis fabulosa Argonautarum migratio; testis ad piraticos mores indoles. Et nunc denique, ex ipsis reliquiis, nuper inter Mycenarum ruderera repertis, perspicere licet quantum illis temporibus esset rerum nauticarum studium, cum fere omnia et aurea et ossea et vitrea ornamenta polyporum concharumque formas exhibeant. Quid igitur mirum si priores illi Græci, quotiescumque de aquis loquerentur, mare in primis cogitaverint, potissimum humoris principium; præsertim cum in Cycladibus plerique habitarent, in quibus nudati adustique colles rariores fontes emittebant et adhuc emittunt, ac prope nullus rivulus manat. Ita amplissimum aquarum receptaculum in mari posuerunt et quos æquum erat pro com-

munibus aquarum genis existimari, Nerea patrem et Nereidas filias, non fluminibus neque fontibus, sed mari soli addixerunt.

Neque tamen in litterata Græcia omnia perierunt vestigia vetustioris Nereidum religionis. Etenim si quis respexerit thessalicas illas, quas supra illustravimus, de Peleo, Thetide atque Nereidibus sororibus fabulas, non dubitabit quin esset eadem marinis Nereidibus origo ac fluviatilibus fontanisque Nymphis. Nam magna est Nereidum necessitudo cum Pelio; cum Ossa montibus, id est cum vallibus, lucis, fontibus, rursus igitur cum Nymphis montium solitudines occupantibus. Nereides ad extremas Eubœæ oras sedem habent, sub ipsis Pelii radicibus ¹. Thetis autem Nereis Peliaco viro in matrimonium data est, ex qua natus Achilles non a Nereidibus sororibus Thetidis, sed a Peliacis Naïadibus educatur ². Achilli trojanam expeditionem paranti Nereides divina arma apportant, Pelion Ossamque superantes, Peliacarumque Nympha-

1. EURIPID. *Electr.*, 442 et seq.

2. APOLLON. *Argonaut.*, IV, 843, Schol.

rum recessus transeuntes ¹. Achillem mortuum excipiunt Nymphæ Pierides, id est Musæ, quas aquarum deas ac vere Naiadas antiquitus fuisse constat ², et cum Thetide ac Nereidibus in littore trojano complorant. Hyginus præterea, in sua Nereidum recensione, *Emathiam* Nereida refert, quod nomen est cujusdam in Thessalia montis, montanamque Nympham significat. Alia etiam sunt quibus probari potest illa Nereidum cum Nymphis cognatio. Euripides enim Nereidas inducit in fluminibus æque colludentes atque in fluctibus ³. Virgilius quoque, in quarto *Georgicon* libro, Nereidas commemorat,

Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque ⁴,

iisdemque Nereidibus conjunctas Peneïas
Nymphas, fontiumque Naiadas et Cyrenem, et
Oceanitidas,

Nymphasque sorores

Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant ⁵.

1. EURIPID. *Electr.*, 442 et seq.

2. PRELLER, *Griechische Mythologie*, p. 400 et seq. DECHARME, *Mythologie de la Grèce antique*, p. 217.

3. *Ion*, 1081 et seq.

4. *Georgic.*, IV, 338.

5. *Georg.*, IV, 382 et seq. Cf. MARTIAL. *Epigr.*, IV, 57.

Pristina igitur opinio Nereidas esse communes aquarum deas, quales sunt Aneraïdes, ne in homerica quidem marinarum Nereidum religione oppressa est; sed adeo permansit, ut obscura apud veteres viveret, perspicua vero apud recentiores Græcos integraque revivisceret. Itaque hæc illa jam nobis tenenda est, funebrem Nereidum significationem explicaturis.

§ 3. — *De malignitate et rapacitate Nympharum.*

Diversarum fabularum quæ de aquis aquarumque geniis olim tradebantur et nunc etiam in multis regionibus traduntur, duo genera sunt; unum illustrantium quanta sit aquarum virtus, quantaque ubertas; alterum autem aquarum infelices impetus funestamque sævitiam significantium. Priori illi generi addicentur illæ, quas tetigimus, fabulæ de Oceano patre rerum ac de Thetyde matre ¹; de Nereo sene benevolo, de benignis Nereidibus navisque pretiosa merce onustas trans mare co-

1. *Iliad*, XIV, 201.

mitantibus. De quibus non amplius disputandi locus est, cum jam compertum habeamus nihil iis inesse funereæ significationis. Ad alterum igitur veniamus fabularum genus.

Pervulgatissima apud veteres Græcos opinio erat de maligna aquarum vi atque impotentia, unde pestes nascerentur. Namque a regno Neptuni, id est ab aquarum sinu ingenti exorta credebantur illa horrenda monstra, quæ homines, pecora, fruges, omnia depopularentur¹. Ille Neptunus taurum miserat, in Creta primum ab Hercule domitum, ac rursus in campo Marathoniaco a Theseo. Ille et Træzëniam belluam miserat, cujus adspectu perditus est Hippolytus; et Æthiopicam pisticem, Nereidum ultricem, quas Cassiepeia regina contempserat; et monstrum illud a Perseo debellatum, cui Andromeda præda debebatur². Tot marinis pestibus adde Lamiam vo-

1. HOMER. *Odyss.*, v. 421.

2. Cf. Hesionæ fabulam (APOLLON., II, 5, 9). — In narratiuncula quadam Græciæ recentioris puella pariter traditur quotannis monstro marino, unicum urbis fontem custodienti potumque impediendi. Dum vero arreptam virginem absumendo bellua custodiam remittit, omnes

racem, Scyllæ voracioris matrem ¹; et ὀλοήν ² Charybdin, navium avidissimam; et Sirenas, Phorci filias, in rupe sedentes humanis ossibus constrata ³; et cornipedes (ὄνυσκέλους) illas mulieres, quarum marinam originem Lucianus testatur; quæ nautas devorant, littori suo appulsos ⁴.

Talem aquarum malignitatem, talemque rapacitatem significant multæ de Nymphis, Aneraidibus, aliisque ejusdem generis geniis fabulæ. Etenim fabula erat apud veteres Græcos, si quis imprudens in celebratas a Nymphis solitudines penetravisset, aut Nymphæ cuidam occurrisset, stupere illum ac vecordem fieri. Hinc νυμφόληπτος, lymphaticus, vocabatur, id est a Nymphis captus. Ideo Socrates in ripa Ilissi reclinis, sub umbra platani, prope fontem salientem, in loco Pani et Nymphis con-

fallunt, data occasione, prædæ devorandæ intentam et ad fontem concurrunt et sibi aquam comparant in totum annum (LEGRAND, *Recueil de contes populaires grecs*, p. 469). Cf. HAHN, *Griechische und albanesische Märchen*, t. I, p. 308.

1. PRELLER, *Griechische Mythologie*, I, p. 507.

2. HOMER. *Odyss.*, XII, 113.

3. HOMER. *Odyss.*, XII, 39 et seq.

4. LUCIAN. *Vera histor.*, II, 46.

secrato, ait sibi videri divina sentire ac spirare et vere a Nymphis occupari¹. Hinc et fatidicos quosdam homines conjectura erat spiritu Nympharum inflari, cum pro dementia vaticinatio haberetur. Bacis enim, de quo sæpe mentio est, a Nymphis percussus furere dicebatur². In Cithærone, ubi antrum erat Nymphis Sphragitidibus dedicatum, quicumque propius accedebat, delirabat ac futura inde prædicabat³. In hodierna Græcia eadem fere de Aneraidibus enarrantur. Si quis eas in choreis aut lavationibus deprehenderit, si quis concentus audiverit, si cui acciderit antris earum appropinquare vel in luce dormire, ille corripitur, *παίρνεται*⁴; ille desipere creditur aut in comitale quoddam vitium incidere. Historiam puellæ Rossius excepit ac tradidit, quæ, cum sæpenumero per montium solitudines vagaretur, atra bile absumpta est⁵.

1. PLATON, *Phædr.*, p. 230, 238, 241.

2. PAUSANIAS, IV, 27, 2: Βάκις μανέντι ἐκ Νυμφῶν. Cf. Schol. ad Aristophanis *Pacem*, 1071.

3. PAUSANIAS, IX, 3, 9.

4. SCHMIDT, p. 119. Cf. Ἀνεραΐδοβαρημένος vel παρμένος.

5. Ross, *Reisen*, III, p. 181 et seq.

Alia hominis narratiuncula est, qui, cum sopitus in agro suo jaceret, ab Aneraïdibus oppugnatus tanto a periculo evadere non potuisset, nisi mulieres eum e somno excitavissent; Aneraïdes autem, quippe quæ nondum ab inimicitiis suis descivissent, domi manentem media die rursus oppugnaverunt et ignoto malo victum prostraverunt, donec, precibus in ecclesia rite factis, a peste liberaretur¹. In Thessalia refert Heuzey, cum cuperet speluncam quamdam penetrare in montibus Pieriis sitam, noluisse paganos præcedere, credentes esse ibi mysticarum feminarum sedem, quæ homines perderent². In aliis quoque Græciæ regionibus cavent pariter pagani a locis

1. HAHN, *Griechische und albanesische Märchen*, II, p. 79 et seq.

2. HEUZEY, *le Mont Olympe et l'Acarnanie*, p. 204 : « A deux heures du sommet s'ouvre une profonde caverne, célèbre dans toute la contrée, mais où les paysans refusent de conduire personne. Ils racontent qu'elle est habitée par des fées, ἐξωτιχαις. Malheur à qui ose en approcher ! Il est saisi à l'instant de délire et de vertige. On dirait un souvenir de la mystérieuse influence attribuée jadis aux Muses, antiques habitants des grottes de la montagne, qui ne seraient plus aujourd'hui, pour les paysans chrétiens, que de malfaisants génies. »

quibusdam et quibusdam horis. Fervidissima æstate, in ipso solis vapore, cum putent aquarum genios gelidiorum locorum amœnitate delectari et sub arboribus ac prope rivos vagari, ob eam causam existimant nullam horam meridiana funestiosem atque a fontium vicinitate abstinere¹.

Præter illas opiniones, quibus plerumque significantur frigidioris potionis, æstuante sole, pericula aut febres quibus corripietur si quis e calidiore loco in gelidiorem citius transiverit, alia etiam traduntur de Nympharum Aneraidumque malignitate. Namque alia sunt et multa aquarum pericula. Cum sit profundis aquis ac pellucidis aliquid quod ad se pelliciat, nonnunquam accidit ut intuentem vertigo dejiciat². Alium, dum hiantem gurgitem propius contemplatur aut defluentem rapidissimo cursu amnem, eadem vis attrahit et præcipitat. Alius, pronus ad bibendum, in flumen delabatur. Adde ripas subrutas, abruptas, in-

1. SCHMIDT, p. 119.

2. Cf. *Anthologia græca* (Didot), vii, 170 :

Τὸν τριετὴ παίζοντα περὶ φρέαρ Ἀρχεάναντα
εἶδωλον μορφαῖ; κωφὸν ἐπισπίαστο.

stantes, dubios clivos, lacunas sub radicibus latitantes, humidam herbarum insidias, lubricas fontium ac puteorum margines : unde tam frequens hominum, puerorumque maxime, casus. Conjectura igitur fuit inesse aquis vim aliquam, quæ oculos ac mentes fascinaret : fascinationis autem auctores esse Nymphas. Hinc illæ tot fabellæ de fallacibus aquarum invitamentis, subdolaque pellacia. Cum enim Hylas, unus ex Argonautis, aquam haustus, fonti propius accessisset, dicebatur adolescentulus a Nymphis loci captus et in imas earum sedes feminea vi demissus. Ipsa Nympharum fraus sæpe illustrata antiquitus est variis tabulis; quarum hanc accipe, in Pompeianis rudibus repertam : Hylas jam in aquas delapsus, pectore tenuis adhuc emergit : dumque ad cælum manus frustra attollit opem amicorum implorans, cingitur virginalibus Nympharum dolis ac specie blanditiarum opprimitur. Alia pueri dorso innititur; alia carum caput oppugnat obrutura; alia subridens hospitem jam prope victum ad se trahit de imo ¹.

1. HELBIG, *Wandgemälde*, 4260.

Talia quoque de Nymphis a Græcis recentioribus vulgo creduntur. Rem testabitur hæc narratiuncula, ex insula Chio deprompta, quam Leo Allatius refert ¹ :

« Narrant homines non sublestæ fidei, cum aliquando æstivo tempore in agro, ut cives insulæ, quibus ea facultas est, assolent, demorarentur cum reliqua familia, puellam quamdam facie venusta, ab alia domestica turba seductam, ad putei os, qui ibi non longe aberat, decurrisse et pro more illius ætatulæ, quasi aliud agentem in puteum procubuisse et aquam, quæ intus erat, circumspicientem, a vi quadam sensim latenterque elevatam, absque eo quod illa persentisceret, in puteum protrusam. Viderunt parentes raptum; accurrunt, circumeunt, vident puellam supraquam, æque ac consideret in lectulo, ludentem. Pater audacior factus, dum in puteum descendere conatur, vi quadam infra pellitur et prope filiam sistitur. Alii interim scalas adve-

1. LEO ALLATIUS, *De Græcorum hodie quorundam opinionibus*, in libro *De templis Græcorum recentioribus* (1645), p. 139.

hunt, in puteum deponunt, hortantur patrem ut ascendat : ille intra ulnas arrepta filia per scalas sanus ascendit. Et quod omnium admirationem movit, cum in aqua ipse et filia tantumdem immorati fuissent, ascendunt siccis et aridis vestibus, nullo vel humiditatis signo contracto. Raptum puellæ patrisque Nereidibus tradunt, quibus in puteo habitationem fuisse comminiscuntur. Puella etiam ipsa asseruit, dum puteo instaret, vidisse se super aquam mulieres ludentes summa animi oblectatione ab eisque accersitam ultro se in puteum dejecisse. »

Nec miraberis talibus de Nympharum maligna rapacitate fabellis et veteres Græcos credidisse et recentiores credere, cum fere in nulla regione rustici a similibus opinionibus abstinerint. Hanc narrat Gregorius Turonicensis ab Arvernensibus traditam ¹. Viator quidam iter faciebat, commeatu sumpto, quem primo mane, priusquam proficisceretur, consecrari a sacerdote jusserat, ut bene ac pros-

1. *De gloria confess.*, 31.

pere eveniret; « cumque ad amnem adhuc antelucanum venisset, imposito plaustro cum bobus in ponte qui super navem locatus erat, alterum transmeare cœpit in littus. Verum ubi in medium amnis devenit, audivit vocem dicentis : « Merge, merge, ne moreris. » Cui respondens vox alia ait : « Sine tua etiam admonitione, quæ proclamas, fecissem, si res sacra meis conatibus non obstaret; nam scias eum eulogiis sacerdotis esse munitum, ideo ei nocere non possum¹ ».

Illæ omnes Nymphæ canoræ creduntur a paganis. Homines igitur pelliciuntur suavi earum voce, quæ imago est murmurantis aquæ, et in femineas insidias incantati incidunt. Hinc illa fabella quam in tragœdiæ *Guillaume Tell* initio habes² : « Subridet lacus atque ad balneum invitare videtur. Interea puer jacebat

1. Cf. GRIMM, *Contes choisis* (Hachette), p. 213 et seq. (*Fondine de l'étang*) : lavantem manus in lacu juvenem Nympha sibi vindicat et obruit. — Alias, in Scotia, hæc fabella, cui *the mermaid* titulus est, traditur a FINLAY (*Scottish ballads*) : Nympha adolescentem equitem, aquas trajicientem, cantibus ad se vocat et funesto complexu coercet.

2. SCHILLER, *Guillaume Tell*, 1 et seq.

in viridi littore sopitus. Ecce sentit sonum aliquem, quo non dulcior tibia, angelorum concentibus consimilem. E somno igitur excitatur, mirum in modum delectatus. Sed videt aquas circa pectus suum colludentes et vocem exaudit de lacu clamantis : « Dilecte puer, jam meus es : ego enim sum qui sopitum fascinem et in imos fluctus detraham. » Hoc etiam confer in rhenana regione pervulgatissimum carmen¹ : « Vesper adest, nocte jam subeunte silentisque Rheni flumen operiente; necdum tamen sol decessit a proximo monte, sed adhuc culmen illustrat. Pulcherrima puella, ornamentis et auro fulgurans, ibi sedet in excelsa rupe et flavos capillos comit; dumque crines aureo pectine explicat et componit, auras personat dulci cantu insolitisque modis. Navita interea, navicula invectus, novo sono percellitur mira que fascinatione præstringitur. Neque cavet a scopulis, cum stupor oculos urgeat, defixusque suspiciat formosam argutamque virginem. Quid plura? Fama est

1. Quod, cum per ora hominum vulgo traderetur, H. Heine composuit.

navem simul cum navita aquis obrutam esse. Tanta vis est suavissimæ Nymphæ, quæ *Loreley* dicitur. »

Quid Sirenum vetustæ fabulæ consimilius? Quæ, cum pariter in excelsa rupe considerent, amabili voce nautas pelliciebant captasque hominum mentes adeo alienabant, ut illi, et patriam et conjugem et liberos obliti, sponte sua ad eas properarent, a quibus devorarentur¹. Adde et Bormi fabulam, Mariandyni adolescentis, qui, cum mollibus Naiadum vocibus incantaretur, in fontem delapsus est².

His omnibus, quas attuli, fabellis, intelligitur qua ratione factum sit ut malignæ rapacesque Nymphæ a veteribus Græcis crederentur, et nunc a recentioribus Aneraïdes credantur. Quapropter illæ a Theocrito dicebantur paganis inimicissimæ, δεινὰ θεὰ ἀγροιώταις³. Nec dissimilis formido adhuc viget, cum καλὰς

1. HOMER. *Odyss.*, XII, 39 et seq. Cf. J. GRIMM, *Deutsche Mythologie*, I, p. 460 : « gleich der Sirene zieht die Nixe durch ihren Gesang zulauschende Jünglinge an sich und hinab in die Tiefe. »

2. HESYCHIUS, s. v. Βῶρμον.

3. THEOCRIT. *Idyll.*, XIII, 44.

κυράδες Aneiraïdes appellari soleant, vel καλις ἀργόντισσας, id est *bonæ dominæ* ¹ : amœnum quidem nomen est, sed cujus lenitate horror numinis et extenuatur et declaratur.

Etsi sunt illa omnia exempla satis perspicua, tamen hæc alia etiam afferam, quibus manifestius demonstrabitur veteres de Nympharum rapacitate opiniones rusticorum ingeniis insitas duravisse. Namque permanet Lamiaë, Scyllæ matris, antiqua fabula, cujus supra mentionem feci ²; quæ, cum jejuna semper haberetur, nunquam humana carne satiabatur. Illa in hodierna Græcia creditur, horrenda visu femina, nigro corpore, quæ interdum e mari emergit ut homines correptos devoret ³. Hoc autem notabis monstrum pro regina Aneiraïdum a quibusdam haberi ⁴ : unde illarum aviditas apparet.

Harpyarum vero nomen nostris temporibus

1. SCHMIDT, p. 100. POLITIS, p. 96.

2. Pag. 78.

3. POLITIS (p. 196) hoc refert ex populari carmine depromptum : Μία μαύρη Δάμια τοῦ γιγλοῦ ποῦ τρώει τὰ πάλλη-
ξάρια (*nigra Lamia, quæ in mari est, hominesque devorat*).

4. WACHSMUTH, p. 30. POLITIS, p. 98.

excidit, sed indita est Aneraïdibus earum rapacitas. Commota tempestate, ventis undique sævientibus, opinio erat apud veteres Græcos furere Harpyas, quæ cælum ac mare penitus disturbarent omniaque in terra late verrent¹. Nunc si quando fit ventorum turbo, creditur vulgo in Græcia vagari Aneraïdas per aera et rapido lapsu ferri et saltando bacchari. Itaque ne homines ab illis corripantur auferanturque, deprecari solent verbaque faciunt averruncantia².

§ 4. — *De rapacibus ac mortiferis numinibus
apud Græcos.*

Quæ cum crederentur de Nympharum malignitate et rapacitate, non est cur miremur eas ad funera nonnihil pertinere. Quid enim mortem esse Græci censebant nisi raptum? Quippe qui non mente præciperent, christianorum more, cælestem æternamque conditionem, neque terram pro exilio haberent,

1. PRELLER, *Griechische Mythologie*, II, p. 331.

2. SCHMIDT, p. 123 et seq.

neque mortem exoptarent, quæ a vitæ patientia corporisque angustiis captivum animum liberaret. Illi autem, non assueti humana despicere, vitam diligebant et lucis dulcedinem et rerum delicias et hominum commercia, ideoque acerba mortis necessitate quam maxime movebantur. Cum minus intelligerent quo pacto quibusve causis alia corpora, natura solvente, dilaberentur, alia vero immature occulta quadam peste absumerentur, malos genios excogitaverant, perniciosa numina atque inevitabilia, qui vivis ubique et semper insidiarentur dolisque imprudentes captarent et secum abriperent.

Qui cum multi sunt, tum varias figuras exhibent. In primis mentio facienda est genii illius, qui Θύνητος dicitur, celeris nuncii, atris alis instructi¹, terribilis, implacabilis, prædæ tenacissimi²; quem induxit Homerus a Jove missum ut occisum Sarpedona jacentemque in campo auferret³. Ille etiam Thanatos in

1. PAUSANIAS, V, 48, 1.

2. HESIOD. *Théogon.*, 764 et seq.

3. *Ilias*, XVI, 674.

fictili vase depictus est, brachiis ad Ajacem moriturum intentis jam prehensurus¹. Eodem mortis genio pro persona utitur in *Alceste* tragœdia Euripides. Adest enim ille crudelis mortuorum sacerdos², atra veste indutus³, cui munus est homines intercipere⁴, cui vero gratissimus est, utpote crudelissimus adolescentulorum raptus⁵; adest, cum jam sit Alcestis inferis destinata, et vigilat, gladio instructus⁶, ut mulierem corripiat; sed, priusquam miseræ manum injiciat, dum avidus bibit sanguinem cæsarum in tumulto victimarum, subito oppressus ab Hercule, reginam remittere cogitur⁷. Nec dissimilis erat apud Etruscos Charontis species: ille enim, horrendo vultu deformis, naso adunco, putabatur insidias vitæ hominum parare, quos malleo aut gladio feriret et in infernas sedes vi secum detraheret.

1. SAGLIO, *Diction. des antiquités grecques et latines*, p. 1100, fig. 1357.

2. EURIPID. *Alcest.*, 25.

3. *Ibid.*, 843.

4. *Ibid.*, 49.

5. *Ibid.*, 55.

6. *Ibid.*, 25 et 47.

7. *Ibid.*, 843.

Inde in sepulchralibus urnis et picturis, quæ in Etruria inventæ sunt, sæpenumero illius effigies est aut morituro adstantis quem auferat aut mortuum trahentis, equo impositum ¹.

In popularibus denique hodiernæ Græciæ fabellis etiam nunc insita superest illa vetustissima mortiferi genii figura, qui ab Homero, Hesiodo, Euripide Thanatos, et ab Etruscis Charon, a recentioribus autem Græcis Charos vel Charontas dicitur ². Qui atra veste pariter indutus ³, manuque gladium gerens ⁴, huc illuc per terras fertur, vel pedes vel nigro equo invectus ⁵, ut horrendum munus suum expleat ⁶. Prædonis instar, mala fraude utitur, neque a fallacibus dolis abstinet femineisque astutiis ⁷. Itaque imprudentes inopinantesque homines

1. *Revue Archéologique*, t. I (ancienne série), pl. XVII, n° 1, p. 674 : « On voit une âme, reconnaissable au voile qui lui cache le visage, montée sur un cheval ; elle est conduite par le Charon étrusque armé de son lourd marteau. » (A. MAURY.)

2. POLITIS, p. 237.

3. SAKELLARIOS, *Κυπριακά*, III, p. 46, n° 17.

4. SAKELLARIOS, n° 17.

5. SCHMIDT, p. 225.

6. PASSOW, 428.

7. PASSOW, 424.

aggreditur et vulnere insanabili ferit¹. Nunc juvenes trahit, crinibus arreptis, nunc senes, manu prehensa, secum deducit². Hoc præsertim meditatur ut adolescentulos, sponsas virgines, pueros appetat; quemadmodum in Euripide gloriatur Thanatos interceptis juvenibus³, ita acerbissimus⁴, insatiabilis⁵ Charontas intentusque ad occasionem sæviendi ex crudelitate sua voluptatem capit. Hinc illa cantilena, plena tristitiæ et ingenii, in qua Charos inducitur, montes trajiciens cum abreptis hominibus et negat se iter intermissurum, ne importunis precibus retineatur: « Postulant senes, genibusque provoluti adolescentuli precantur: O Charon, aiunt, paulum consiste in quovis pago, consiste prope fontem frigidum, ubi liceat et senioribus bibere, et adolescentulis colludere cum calculis, et parvis pueris

1. SCHMIDT, p. 228, not. 2.

2. PASSOW, 410.

3. EURIPID. *Alcest.*, 53.

4. Πικροχάρωντας (SCHMIDT, p. 234). Cf. *Anthologia græca* (Didot), VII, 603: Ἄγριός ἐστι Χάρων. KAIBEL, *Epigrammata græca ex lapidibus collecta*, p. 230, n° 566: Πονηρὲ δαίμων... — ..νηλεόθυμε Χάρων.

5. Ἀχόρταχος (POLITIS, p. 251).

flores deligere. At ille : Non consistam, inquit, neque in pago aliquo neque prope fontem frigidum : etenim matres ad fontem venient, aquæ exhauriendæ causa, et venientes agnoscent natos suos ; et mariti conjuges agnoscent, et feminae maritos ! Nec jam disjunctio fieri poterit¹. » Notanda sunt novissima hæc carminis verba, καὶ χωρισμὸν δὲν ἔχουν, quibus vera Charontis indoles illustrata est. Ille enim nulla re magis delectatur quam acerba hominum disjunctio. Itaque in alia cantilena sic loquitur de se : « Divello materculas a complexu liberorum, puerosque a patribus ; divello fratres a dilectissimis fratribus ; divello feminas a maritis, a feminis maritos². »

1. FAURIEL, t. II, p. 228, n° XXVII :

Παρακαλοῦν οἱ γέροντες, κ' οἱ νέοι γονατίζουν·
 « Χάρε μου, κόνεψ' εἰς χωριὸν, κόνεψ' εἰς κρύαν βρύσιν,
 Νὰ πιοῦν οἱ γέροντες νερόν κ' οἱ νέοι νὰ λιθαρίσουν,
 καὶ τὰ μικρὰ παιδόπουλα νὰ μάσουν λουλουδάκια. »
 Κ' οὐδ' εἰς χωριὸν κονεύω ἴγώ κ' οὐδὲ εἰς κρύαν βρύσιν·
 Ἔρχοντ' ἢ μάννες γιὰ νερόν, γνωρίζουν τὰ παιδιά των·
 γνωρίζονται τ' ἀνδρόγυνα, καὶ χωρισμὸν ὄν ἔχουν.

2. Versus refert POLITIS (p. 249) :

Χωρίζω μάν' ἀπ' τὰ παιδιά, παιδάκι' ἀπ' τὸν πατέρα·
 Χωρίζ' ἀδέρφια ἠγαρδιακὰ καὶ πολυαγαπημένα.
 Χωρίζω καὶ τ' ἀνδρόγυνα.

Cf. *Anth.gr.*, VII, 186 : Δακρυόεις Ἄϊδη, τί πόσιν νόμφης διέλυσας ;

Si de communibus et pervagatis veterum Græcorum opinionibus existimare licet ex hodiernis illis paganorum sententiis et moribus, jam perspicere possumus quantopere græca gens acerbitate mortis antiquitus moveretur, res humanas, voluptates, necessitudines crudeliter abrumpentis.

Immo cum tali raptu mentes vulgi excitarentur, figurati sunt mortis genii specie varia rapacium volucrum, a quibus homines auferrentur. Hinc Κῆρες, aut mortuum abripientes et in infernam sedem deferentes¹, aut in cadavera, vulturio more, corruentes². Hinc et Harpyæ, celeres volucres ac voraces, quæ credebantur media tempestate sævire, humanamque prædam infernis numinibus tradere. Etenim in *Odyssea*, cum Telemacho³ Eumæoque⁴ conjectura sit Ulysssem fluctibus obrutum esse, aiunt illi virum ab Harpyis correptum esse atque sublatum. Ac Penelope, mori cupiens,

1. HOMER. *Odys.*, XIV, 207.

2. HESIOD. *Scut. Hercul.* 249 et seq.

3. HOMER. *Odys.*, I, 241.

4. *Ibid.*, XIV, 371.

exoptat ut, quemadmodum Harpyæ Pandarei filias olim abstulerint, ita miserrimam ipsam nunc auferant¹. In quibusdam figlinis vasis picturas exhibentibus, imago est Harpyarum morientis capiti imminentium². Atque in Lycio quodam sepulcro exsculptæ Harpyæ sunt, ex dimidia corporis parte volucres, superne autem feminæ, quæ puellas ulnis amplexæ abripiunt³.

Sirenæ præterea, quas ex multis sepulcrorum exemplis funerea numina esse constat⁴, a quibusque fabula erat homines argutis cantibus captos devorari, Harpyis consimiles sæpe effingebantur, femineo capite volucres. Polygnotus denique in delphica Lesche Eury-nomum depinxerat, edacissimam avem, cæ-

1. HOMER. *Odyss.*, xx, 77 et seq.

2. GERHARD, *Auserlesene griechische Vasenbilder*, pars II, tab. 104 et 107. *Annali dell' Istituto*, 1845, p. 1 et seq.

3. *Monumenti*, x, 11, 12. — Cf. Virgil. *Æneid.*, III, 214 et seq.

4. STACKELBERG, *Græber der Hellenen*, pl. 74; PANOFKA, *Antiquités du cabinet Pourtalès*, p. 73 et seq.; PERVANOGLOU, *Grabsteine der alten Griechen*, p. 79 et seq.; *Bull. de corr. hellén.*, I, p. 419. — Cf. PLUTARCH., *Quæst. conviv.*, IX, 14, p. 746 : Σειρήνας... Φόρκου κόρας, θροοῦντε τοὺς Ἄδου νόμους.

ruleo vel potius subnigro colore, qui cujusdam muscæ color est. Illa, nudatis dentibus, corpora hominum erodebat. Ne nostra quidem ætate decidit apud Græciæ paganos hæc opinio vetus mortuos a monstro aliquo devorari : nam in cantilenis Charos effingitur pronus in cadaver, qui carnes exedat oculosque exhauriat bibendo ¹.

Ex his omnibus sequitur mortem a Græcis, in omni tempore, pro raptu ac tristi divortio habitam esse, cujus vi omnis hominum necessitudo distraheretur. Supremum igitur illum digressum, quemadmodum varii, quos diximus, horrendique genii significaverunt, ita rapacium Nereidum figuris arbitror expressum esse.

Neque desunt hujus opinionis certa argumenta quæ afferam. Accipe primum hanc narratiunculam, quam Rossius edidit a muliere quadam attica traditam ², quæ filia sua orbata erat : « Habebam, inquit illa, filiam, tredecim annis paulo minorem, quæ insoliti ingenii ac

1. POLITIS, p. 252.

2. Ross, *Reisen*, III, p. 181 et seq.

moris erat. Quamvis omnes eam summo studio summaque benevolentia foveremus, tamen tristissima erat, et, quotiescumque licebat, in proximi montis dumeta aufugiebat multo mane, ibique sola totam diem usque ad serum vesperem spatiabatur, amictu sæpe posito et tenui tantum tunica induta, ut in erroribus suis expeditior fieret. Nos quidem non audebamus vetare ne exiret, cum jam cognovissemus eam esse ab Aneraidibus incantatam. Sed in tanto mœrore nostro, deducta illa sæpenu-mero in ecclesiam, pater deprecabatur, nequicquam, deficiente ipsa Maria virgine. Inde, post aliquod tempus, cum bile atra magis ac magis moveretur, brevi interiit. Dum justa perficiebamus, a vicinis dicebatur: ne mortuam miremini, quippe quam Aneraides interceptissent: vidimus enim duabus abhinc diebus cum illis eam choros agentem. » Ita vi quadam Aneraidum periisse puella videbatur. Pariter in Rhodo insula fabula est, si quis flumen trans-eundo Aneraidas conspexerit, subito eum ab illis captatum interire¹. Tam mortifera creditur

1. NEWTON, *Travels and discoveries*, 1, p. 211 et seq.



vulgo Aneraïdum vis ut in quadam narratiuncula Aneraïdes filiæ diaboli habeantur; diabolus autem funestum numen est correptosque homines interficit¹. Narrat Fauriel² tres puellas, vultu eximias, capripedes, quas Aneraïdas vocant, in culmine montis Scardamylæ versari, ibique in agendis choreis nunquam cessare: si quis vero propius accesserit, amplexibus suis illæ coercent ac continent, donec præcipitem de rupe devolvant.

In multis præterea elogiis Nymphæ mortis auctores inducuntur. Nunc de pastore agitur, qui in monte quodam periit aut de puero, cui tale fatum accidit; nunc de puellis in fontem delapsis. In quibus omnibus elogiis, eadem fere verba repetita invenies, aut Ἀστακίδην τὸν Κρήτα, τὸν αἰπόλον, ἤρπασε Νύμφη³. — Διακρούεις Ἄιδης σὺν [Ὁ]ρει[ά]σιν ἠίστωσεν⁴. — Παιῖδα γὰρ ἐσθλήν ἤρπασαν ὡς τερπνὴν Νυΐδες, οὐ θάνατος⁵. — Νύμφη κρηναῖα με

1. HAHN, *Griechische und albanesische Märchen*, t. I, p. 293 et seq. : « *Der Jüngling, der Teufel und seine Tochter.* »

2. *Discours prélim.*, p. LXXXV.

3. *Anthologia græca* (Didot), VII, 518.

4. *Corp. Inscr. græc.*, 997.

5. KAIBEL, *Epigrammata græca*, 570, 9.

συνήρπασαν ἐκ βιότου¹. Cum quibus illa rursus confer, quæ de solitis mortis geniis vulgo dicuntur: "Ἄγει μ' ἄγει μέ τις, οὐχ ὄραξ²; — Νῦν δέ μιν ἀκλειῶς Ἄρπυιαι ἀνηρείψαντο³, — Ἄγριός ἐστι Χάρων..., ἤρπασεν ἤδη τὸν νέον⁴. Nonne igitur rapaces illæ Nymphæ Aneraïdesque pro funestis numinibus habendæ sunt, quales habentur Harpyæ aliique mortiferi genii?

§ 5. — *De funebri Nereidum significatione.*

Sed ne quis forte arbitretur mortem, qualiscumque sit, Nympharum Aneraïdumque nomine ac figura significari, seu morbo confectus senex decesserit, seu occubuerit in pugnando miles, seu mare nautam sustulerit. Ut enim varii sunt casus quibus homines intereunt, ita multa variaque excogitabantur a Græcis numina quæ vivos interciperent et in infernas sedes dejicerent. Qui perierat ferro

1. KAIBEL, 571, 1.

2. EURIPID. *Alcest.*, 259.

3. HOMER. *Odyss.*, XIV, 371.

4. *Anthologia græca*, VII, 603.

vulneratus, ille a Marte oppressus dicebatur¹; qui vero ventis marinisque tempestatibus obrutus erat, Harpyæ credebantur eum abstulisse² aut Amphitrite perdidisse³. Quale igitur mortis genus Nereidum malignitati assignabatur? Res ex ipsis Nympharum Aneraidumque fabellis perspicietur.

Si illam de puella narratiunculam, quam ex Rossio retuli⁴, cum aliis narratiunculis aut fabellis conferre volueris, quas supra de lymphaticis ac de fanaticis attigi⁵, intelliges Nereidum imagine sæpenumero significari mortem eorum, qui dementia aut comitiali morbo capti interierunt. Præterea, cum arva, prata, amnes, luci, saltus, desertaque loca a Nymphis vel Nereidibus frequentata crederentur, si quis paganus, aut vi solis percussus, aut medio æstu frigidior aquam bibens, aut in loco humidior sopitus, subita vertigine aut mala febre corriperetur; si quis in

1. SOPHOCL. *Electr.*, 1423.

2. HOMER. *Odyss.*, I, 244; XIV, 371.

3. HOMER. *Odyss.*, III, 91.

4. Cf., p. 99.

5. Cf., p. 79 et seq.

amnem præceps delaberetur aut flumen trans-
eundo obrueretur, ille a Nymphis Nereidi-
busve oppressus dicebatur. Hinc illæ de paga-
nis delirantibus fabellæ, de Hyla, de Bormo,
de puellis in fontem devolutis. Hinc illa, quæ
memoravi, hominum puerorumve elogia, qui
aut in aquas inciderunt aut casu aliquo in
montium solitudine perierunt.

Quæ omnia cum respexeris, nonne mentem
subit, id præsertim mortis genus Nympharum
Aneraïdumque invidiæ adjudicari solere,
cujus causa occulta est, neque ullo modo po-
tuit intelligi? Etenim, quando decedit aliquis
aut senio confectus, aut confossus telo, aut
certo morbo afflictus, nemo est qui miretur
hominem mori aut morti jam maturum¹, aut
vires animamque cum sanguine effudentem,
aut gravioribus cruciatibus victum. Sed post-
quam pastor quadam die in montis anfractu
interiit, qui toties securus in eadem solitu-
dine consederat; aut puer, dum prope fontem
ludebat, e margine in aquas delapsus est; aut

1. Cf. EURIPID. *Alcest.*, 516: Πατήρ γε μὴν ὠραῖος, εἴπερ
οἴχεται.

bibenti pagano vel dormienti febris deliriumve incidit, febremque mors consecuta est: tum omnes mirantur. Etenim quæ causa est? Quod vulnus? Quæ pestis? Quæ vis miserum interfecit, alienavit, præcipitavit, consumpsit? Abstulerunt igitur imprudentem Nymphæ, surripuerunt Aneraïdes!

Hinc earum malignitas, si unquam alias, tum maxime credebatur, cum pueri adolescentesque morerentur. Quid enim obscurius improvise illorum fato? Qui parvum ætatis cursum vix confecerunt, necdum subierunt vitæ labores et discrimina; sed in ipsa pubertate exsanguis languidulique extinguuntur. Adde quod pueri solent inconsulte ac temere vagari per loca a Nymphis Aneraïdibusque celebrata, in arvis, in saltibus, in fontium marginibus, incauti ab omnibus insidiis.

Quapropter puerorum adolescentiumque rapacissimæ Nymphæ habebantur. In narrationibus elogiisque puellas puerosque plerumque vidimus a Nymphis interceptos¹. Apud paganos magna formido est ne infantes

1. Cf. p. 82 et 99.

ab Aneraïdibus apprehendantur : unde fit ut illi nunquam soli a matribus relinquuntur. In Rhodo insula mos est, donec quadragesima post natalem diem conficiatur, claudere januam, decedente sole, ne, aperta forte domo, detur Aneraïdibus intrandi facultas, et infantem auferendi¹. Immo in omnibus Græciæ partibus opinio est Aneraïdas infantibus ipsis insidiari, qui adhuc materna alvo continentur. Idcirco gravidæ mulieres, ut sese tueantur ab Aneraïdum malignitate, amuleta quædam secum gerunt, caventque ne in nemoribus ac prope fontes, in solitis Aneraïdum sedibus, requiescant².

Illa Nympharum Aneraïdumque libido, pueros atque adolescentes aggredientium, sæpe exprimitur specie quadam nimix ac periculosæ amicitix vel impetus amatorii. Nunc puella dicitur arcessita a Nymphis in societatem, quæ caneret cum illis chorosque una duceret³; aut in elogio quodam virgo ait sese a

1. NEWTON, *Travels and discoveries*, I, p. 211.

2. WACHSMUTH, p. 70-71; POLITIS, p. 115.

3. ANTONINUS LIBERALIS, *Metamorph.*, 32: Ἐπεὶ δὲ αὐτῆν

Nymphis abductam esse, cum amabilis videretur¹. Nunc autem formosi sunt adolescentuli, quos Nymphæ diligunt ac præ caritate abripiunt. Aut Hylam amplectuntur, accensæ amore pueri, et in sedes suas detrahunt, aut Mariandynum Bormum dulcibus amantissimisque vocibus pelliciunt et sub aquis coercent. Illæque de Cephalo fabulæ ab Aurora ablato, de petito Adonide a Venere, a Dianaque Endymione, quo spectant nisi ad ipsum, de quo loquimur, Nympharum erga pulchros pueros amorem? Talia ut in Græcia, ita in aliis regionibus traduntur. Fama est in Albania a Nymphis quibusdam, quæ Aneraïdibus consimiles sunt, formosos adolescentes surripi, qui colludant atque in saltibus una exsultent². Creditur in Germania ex aquis puellas sub luna emergere, quæ amatos juvenes osculentur et in choreas auferant³. In

ἠγάπησαν ὑπερφυῶς Ἀμαδρυάδες νόμφαι καὶ ἐποίησαντο συμπαίτριαν ἑαυτῶν, ἐδίδαξαν ὕμνεῖν θεοὺς καὶ χορεύειν... Δρυόπη δὲ μετέβαλε καὶ ἀντὶ θνητῆς ἐγένετο νόμφη.

1. KAIBEL, *Epigr. græca*, 570 : ἤρασαν ὡς τερπνὴν Ναιδες.

2. HAHN, *Albanesische Studien*, 1, p. 161.

3. J. GRIMM, *Deutsche Mythologie*, 1, p. 460. Cf. HENRI

bulgarico carmine agitur de puella, quæ interceptur ut pro sacerdote habeatur a Nymphis, quas Samodivas vocant¹. Et in Britannia nostra fabella est pueri, dicti *Lancelot du Lac*; quem cum in ripa lacus mater incautior reliquisset, Nympha quædam abstulit².

HEINE, *Poèmes et légendes*, p. 173 (Calmann Lévy) : « Les flots clapotent amoureusement contre la plage solitaire; la lune s'est levée et un jeune chevalier repose étendu sur la blanche dune; il se laisse aller aux mille rêveries de sa pensée. — Les belles ondines, vêtues de voiles blancs, quittent les profondeurs des eaux. Elles s'approchent à pas légers du jeune chevalier, qu'elles croient réellement endormi. — L'une touche avec curiosité les plumes de sa barrette, l'autre examine son baudrier et son heaume. — La troisième sourit et son œil étincelle; elle tire l'épée du fourreau, et, appuyée sur l'acier brillant, elle contemple avec ravissement le beau joveuseau. — La quatrième sautille çà et là autour de lui, et chantonne tout bas : « Oh ! que ne suis-je ta maîtresse, chère fleur de chevalerie ! » — La cinquième baise la main du chevalier avec une ardeur voluptueuse; la sixième hésite et s'enhardit enfin à lui baiser les lèvres et les joues. » (*Nocturnes, les Ondines.*)

1. *Bulletin de l'École française d'Athènes*, p. 123 et seq.

2. PAULIN PARIS, *les Romans de la Table ronde*, t. III, p. 15 et seq. (*la Reine aux grandes douleurs*) : « Puis la pensée lui revint de l'enfant laissé aux pieds des chevaux. « Ah ! mon fils ! » et elle redescend tout échevelée au bas de la montagne; elle cherche les chevaux, ils s'étaient rapprochés du lac pour s'y abreuver. Sur la rive, elle voit son fils entre les bras d'une demoiselle qui le serre tendre-

Cum opinio vigeret apud veteres, ante diem esse illi pereundum qui immortalibus dilectus videretur, quid illo Nympharum et Aneïdum studio erga pueros adolescentesque intelligitur, nisi mors immatura? Quæ quoniam juvenes, in florente ætate interceptos, speratis amoribus fraudabat et optato connubio, sæpe significata est a Græcis imagine quadam divini connubii, quasi deus aliquis humanæ pulchritudinis delicias hominibus invideret. Quapropter morientem puellam Pluto dicebatur in sponsalia sua, veluti Proserpinam, eripere; adolescentulum vero inferna Proserpina lecto suo destinare. Hinc illa in elogiis verba: Ἄϊδας εἰς ὑμέναιον ἀνάρπασεν ¹. — Ἄϊδαν ἐπι-
 νυμφίδιον Κλεαρίσττα δέξατο ² — νύμφιον Ἄδην ³ — κατέ-

ment sur son sein en lui baisant la bouche et les yeux : « Belle douce amie, lui dit la reine, pour Dieu! rendez-moi mon enfant! Il est assez malheureux d'avoir perdu son père et son héritage! » A toutes ces paroles, la demoiselle ne répond mot; mais quand elle voit la reine avancer de plus près, elle se lève avec l'enfant, se tourne vers le lac, joint les pieds et disparaît sous les eaux. »

1. *Anthologia græca*, vii, 13.

2. *Ibid.*, vii, 182.

3. *Ibid.*, vii, 492.

ἔην ξανθῆς Περσεφόνης θάλαμον ¹, taliaque multa; quæ, cum in frequentem usum venissent, vulgarem ac populariter tritam translationem declarant. Ita in Euripide Megara mater, de filiis suis ante diem morituris acerbè queritur : « Quibus ego sponsas olim præoptaveram, nunc de vobis actum est; nunc mutatis rebus, Parcas pro sponsis habebitis ². » Ita et Antigona de se lamentatur : « En ille communis Pluto me vivam detrahit in Acherusias ripas, necdum conjugii expertem : neque nuptiali cantu celebrabor, quippe quæ nubam Acheronti ³. » Adeo insita erat Græcorum mentibus illa translatio ut ad nostrum usque ævum duraret : nam in Græcia recentiore homo moriturus terræ sponsæ sponsus dicitur, jamque a Charonte ad sepulcræ conjugium deducitur ⁴.

Cum igitur adolescentes illi, qui decedebant, viderentur divinis amoribus destinati,

1. *Anthologia græca*, VII, 507.

2. EURIPID. *Hercul. fur.*, 476 et seq.

3. SOPHOCL. *Antigon.*, 808 et seq.

4. POLITIS, p. 288.

adducor ad opinandum illos non Plutonis tantum neque Proserpinæ connubio a veteribus Græcis vulgo addictos et quasi consecratos esse, sed etiam aliis diis deabusque hominum amantissimis, atque rapacissimis, quales Nymphas, Aneraidas, id est Nereidas, esse cognovimus. Ex quo conficitur ut præmaturæ mortis significationem fabula Nereidum expressam habeamus.

§ 6. — *De Nereidum fabula romanos sarcophagos decorante.*

Hactenus, indagando quid esset in Nereidibus funereum, populares tantum Græcorum opiniones illustravi. Nunc, quoniam comperimus Nereidum fabulam sæpenumero in Græcia expressisse acerbitatem interitus, improvisi simul atque præmaturi, restat ut ad romana sepulcra attendamus, quæsituri an eam ipsam vim significationis habeant tot effictæ in illis Nereidum imagines. Quam perspicere frustra tentabimus, nisi, prius collatis in unum multis

sarcophagis, inquisiverimus qualibus figuris illi plerumque decorentur, quidque sub earum specie involutum occultetur.

Ne inutili ac longiore anaglyptorum descriptione argumentum dilatetur, satis erit fabulas tantum, a marmorariis tractatas, indicare. Hæ sunt igitur sepulcrorum parietibus sæpius aut impressæ aut exsculptæ tabulæ :

Res Achilleæ.

Actæon a canibus devoratus.

Adonis amatus a Venere vulneratusque in venando.

Ajax cum Ulysse de Achilleis armis contendens.

Alcestis pro conjuge inferis destinata.

Amazonum atroces cum Græcis congressus.

Ariana, in Naxo dormiens, deprehensa a Baccho raptaque a deo in connubium.

Bellorum simulacra acerrimaque prælia.

Delabentes in circo currus et metæ pericula et aurigarum casus.

Castor et alternans Pollux inferorum atque terræ vices.

Sopitus Endymion amantissimaque Diana.

Europa a Jove abrepta, juveni formam mentito.

Ganymedes cum aquila.

Labores Herculei.

Hippolytus a Phædra perditus.

Raptæ Leucippides.

Medea cum Jasone ac liberis.

Meleagri venationes.

Niobidarum obitus.

Orestes, Agamemnonis vindex, a Furiisque agitatus.

Helle cum Phryxo fugiens.

Eurydice ab Orpheo frustra revocata.

Helenæ Paridisque amores atque fuga.

Rapta a Pelope Hippodamia.

Pentheus ac Mænades.

Phaeton.

Priamus ante pedes Achillis, Hectorei cadaveris redemptor.

Prometheus hominem fingens, Parcibus jam præsentibus Mercurioque inferno promissum.

Proserpina a Plutone rapta.

Laodamia cum Protesila in fatale bellum proficiscente.

Psyche a Cupidine in amorem nuptiasque vindicata.

Sirenum Musarumque imagines.

Si tot varias figuras, romanis sepulcris excūptas, conspexeris, si volueris easdem ad communem aliquam significationis rationem, rebus funereis aptam, redigere, hoc primum tibi notandum erit inter illa omnia, quæ memoravi, simulacra vix ullum reperiri posse quod non præbeat hominem vi quadam improvisa funestaque oppressum vel interceptum. Ecce enim jugulatos Græcos vides Trojanosve, trucidatas Amazonas, ipsamque Penthesileam expirantem, interfectum Ægisthum ab Oreste, occisos a matre Medea liberos, Niobidas divinis sagittis confossos, Penthea a furentibus Mænadibus laceratum, Adonidem vulneratum morientemque, devoratum a canibus Actæona, deturbatum ab equis amentibus Hippolytum, jacens Hectoris cadaver vel tractum in pulvere. Cernis et Phaetontem de cælesti curru excussum, præcipitatos in circo, fractis rotis, aurigas, Hellenque vertigine correptam delapsamque in fluctus suppositos; nec opinatos

puerorum virginumque raptus, sublatum Ganymedem, Europam a Jove subvectam, interceptam Alcestem Eurydicenque a Thanato, raptas Leucippidas, Helenam, Arianam, Hippodamiam, Proserpinam. Adde in plerisque sarcophagorum lateribus figuratum Medusæ vultum, quo viso fabula erat attonita corpora saxea fieri; adde alatos equos, Pegaso similes, ad celerem hominum raptum promptissimos, et gryphas, alatos canes, inferni Jovis, id est raptoris Plutonis, ministros. Quid autem volunt illa omnia, nisi significant inflictam humanis rebus plagam, qua sternuntur, repentinumque impetum atque ineluctabilem, quo vivi avelluntur a parentum caritatibus, ab amicitjiis, a voluptatibus? Amari igitur divortii sensus est, qualem supra monstravimus, Nereidum fabulam examinantes.

Equidem fateor in quibusdam sarcophagis adeo non tristem esse propositæ imaginis speciem ut vix ad res sepulcrales pertinere videatur. Sed ne quis ad singula rerum nimis attendat; hoc potius reputet illa anaglypta, plebeïæ artis, non a præclaris artificibus ex-

sculpta esse, qui figuras omnes ad funebrem monumenti significationem aptarent. Opifices contra fuerunt marmorarii ignobiles, omnisque ingenii expertes; qui, cum fabulas usurparent ab antiquioribus temporibus traditas, commentaque ab innumeris artificibus jam tractata, ne curaverunt quidem ut ea de suo rursus tractarent, aut ad funebrem usum nondum accommodata accommodarent. Verum celebres imagines, vulgares atque usitatas, excipiebant, easque, qualescumque præsto inveniunt, serviliter et inconsulte imitabantur, et more translaticio repetebant, sine proprio sensu, ad trita exemplaria manum non mentem dirigentes; ita ut alia exhiberentur, etiamsi essent ad funus illustrandum inepta, alia vero aptiora negligerentur. Si volumus igitur in anaglyptis intelligere quid sit quod ad mortem spectet, oportet ut, singula quæque parum respicientes, omissis adventiciis rebus ac figuris, antiquam, simplicem et nativam vim fabularum perscrutemur, alienis ornamentis postea implicatam atque obscuratam.

Qua ratione usus, sepulcralibus plerisque

imaginibus expressam esse mortis sævitiam modo explicavi. Nunc non sævitia tantum in illis apparebit, sed etiam ipsa mortis immaturæ acerbitas. Non enim senes videmus interemptos, præcipitados, ablatos, sed homines naturali exitio nondum maturos, adolescentes, puellas. Et Achillis effigies est gloriæ simul ac Parcis ante diem debiti; et Herculis, quem tabe secreta peresum fatalis tunica ante diem sustulit; et Meleagri, qui, cum vitam diuturnitati stipitis alicujus Parcæ æquavissent, adusto forte stipite, ante diem consumptus est; et Adonidis ante diem pereuntis, et Hippolyti innupti; et Protesilæ ante diem ex oraculo interfecti, cum primus in trojanum littus exsilisset. Quid referam Alcestem a matrimonio recentem parvulosque liberos relinquentem; Penthesileam, Amazonas, Niobidas, formosas puellas, in ipso ætatis ac pulchritudinis flore interceptas? Nonne de morte immatura liquet? Eadem significant raptæ virgines, Proserpina, Europa, Helenaque aliaque simulacra, etsi obscuriora videantur, ut calathus eversus, disturbatis, spe mensarum, pomis; ut devora-

tus ab ave papilio; ut absumpti racemi a lepore¹; aliæque similes translationes, quibus quid aliud declarari censes nisi vitam in ipsa luxuria succisam?

De illis igitur sepulcralibus tabulis, qualescumque enumeravimus, surgit amari aliquid quod ad triste rerum humanarum divortium acerbioresque mortis inclementiam pertineat. Cum autem inter tot varias imagines, quibus sarcophagi decorantur, Nereidum figuræ frequentissimæ usurpentur, verisimile est, eandem vim ægritudinis sub specie Nereidum latere. Ita funebrem Nereidum significationem, qualem in popularibus Græcorum sententiis agnovimus talem comprobare videntur et collata et comparatione nostra illustrata Romanorum sepulcra.

1. Hæc in Tibullo (*Eleg.*, III, 5, 19) queritur adolescens ante diem moriens :

Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis
Et modo nata mala vellere poma manu?

CONCLUSIO

Huic disputatiunculæ finem impositurus, ea quæ monstrare conatus sum, colligere volo arctioribusque finibus includere. Cum in quibusdam veterum sepulcris effictæ Nereides appareant, et ex variis exemplis constet aliquid inesse earum imaginibus funereum, traditas a veteribus Græcis Nereidum fabulas primum considerare institui. In quibus cum nullas alias Nereidas deprehenderem, nisi marinas virgines navigantibus benignas, tum de funebri Nereidum significatione nullo modo liquebat. Deficientibus igitur antiquitatis documentis, pervulgatas in hodierna Græcia fabellas de Aneraidibus expendi, id est populares vetustissimasque de Nereidibus fabulas, probata acceptaque antiquorum recentiorumque Græcorum cognatione. Aneraides autem multis certisque argumentis consimiles

Naiadibus et Nymphis inventæ sunt. Quæ cum eandem, quam Nymphæ, malignitatem et rapacitatem haberent, ansam dederunt ad explicandum qua ratione Nereides ad res funereas antiquitus pertinerent. Etenim malignos rapacesque genios Græci excogitaverant, mortis effectores, Thanaton, Charontem, Parcas, Harpyas, Sirenas, quorum vi ac fraudibus surrepti homines avellerentur a lucis dulcedine. His igitur mortiferis geniis malignas rapacesque Nereidas adnumerandas esse censei; cumque excussissem multas antiquas recentioresque fabulas de Nereidibus, formosos adolescentes diligentibus ac præ amore sibi vindicantibus, contulissetque alias romanis sepulcris effictas imagines, hoc mihi visum est Nereidum figura mortem præmaturam significari.

Quid inde? Num dicendum erit, quotiescumque ante oculos habebimus decoratum pictis exsculptisve Nereidibus sepulcrum, esse illo monumento conditum adolescentem, acerba fati invidia succisum, fraudatumque vitæ deliciis? Tali conclusioni si quis, probabilia

sequens, primo assentiatur, videat quo serpat oratio. Hoc enim assentienti accipiendum erit ea tantum sepulcra a Romanis confecta esse eaque tantum nobis servata, quæ puero- rum adolescentiumque essent, hominum vero nulla esse ætate maturiorum, neque senum justo ævo functorum. Nam omnibus imaginibus, quas in romanis sarcophagis supra consideravimus, immatura mors intelligitur. Itaque ne in absurda incidamus, oportet hoc teneamus, sepulcrales figuras non semper esse ad sepulcorum ætatem accommodatas.

Sed si quidem Nereidum imagines, mortem immaturam vulgo exprimentes, non semper significant hominem ipsum, cujus sepulcrum decorant, citiore obitu esse sublatum, quo pertinere videbuntur illæ, funebribus monumentis applicatæ, nisi ad fatalem mortis amaritudinem? Res paucis explicabitur.

Etenim veteribus sæpissime placuit communes humanæ conditionis miserias ac rerum fragilitatem vanitatemque illustrare. Qui quidem talia sibi ante oculos proponebant, non ut sese a terrestribus bonis avocarent et, more

christianorum, ad spem firmioris felicitatis excitarentur. Sed cum respicerent tot hominum casus et gentium potentissimarum clades et ruinas urbium, omniaque contemplarentur vi quadam fati ineluctabilis obrui, tum certum sui finem cogitatione præsumebant, donec supremæ necessitati cedendum esset; ipsaque mortalitatis mala, quæ neque vitari neque averti humanis viribus possunt, ratione leviora faciebant. Hinc illa de lege communitoties et apud Græcos et apud Romanos dictitata verba, deque ærumnis illustribus magnisque casibus. Hinc Lucretii carmina de regibus, de rerum potentibus, de Scipiadibus, de poetis, de sapientibus; qui, cum inter homines mire claruissent, tamen occiderunt. Ita, humilioribus omissis, celebriora exempla enumerabantur ac de heroibus sermo plerumque fiebat: qui, cum perpessi tanto graviora viderentur quanto eminentiores ceteris hominibus evasissent, vulgi animos commovebant, acerba gloriæ atque infortunii oppositione percultos.

Cum igitur mos esset tali oppositione tris-

tem humani generis fragilitatem illustrare, quid acerbius excogitari poterat, quam juvenus in ipsa spe felicitatis pulchritudinisque intercepta? Non aliter, medii ævi temporibus, pictis exsculptisve tabulis ostendebant hic mortis imaginem, ossaque humana, jacentiaque cadavera, illic autem formosas puellas, pulchros adolescentes, sponsalia, ludos, voluptates et quicquid juvenum esset, ita ut præsentis funeris fœditate in cogitationem humanæ vanitatis mentes inducerentur. Neque alia ratio fuit quæ græcas fabulas creavit tradiditque de pueris, de adolescentibus, de virginibus ante diem interceptis, de Adonide, de Hippolyto, de Achille, aliisque similibus. Hinc et Thanatos, quem in auferendis cito hominibus finxerant diligentem; et Charontas ille recentioribus Græcis metuendus, artifex rapiendi juventutem, et Naiades, et Nymphæ, et Nereides denique, de quibus disseruimus, adolescentulorum crudeliter amantissimæ.

INDEX

PROOEMIUM.	1
--------------------	---

PARS PRIOR

§ 1. — De vetustissimis Nereidum fabulis.	9
§ 2. — De Nereidibus Neptuni sociis ac ministris.	17
§ 3. -- De Nereidibus Achilleæ fabulæ conjunctis.	24
§ 4. — De tractata a græco-romanis artificibus fabula Nereidum.	32
§ 5. — De Nereidum forma, indole et propriis studiis	42

PARS ALTERA

§ 1. — De recentiorum Græcorum cum veteribus cognatione	57
§ 2. — De Nereidibus apud recentiores Græcos, vel de Aneiridibus	63

§ 3. — De malignitate et rapacitate Nympharum. . .	77
§ 4. — De rapacibus ac mortiferis numinibus apud Græcos.	90
§ 5. — De funebri Nereidum significatione	101
§ 6. — De Nereidum fabula romanos sarcophagos decorante.	110
CONCLUSIO	118

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a. d. viii
kal. Aug. an. MDCCCLXXXI.

*Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi decanus,*

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

